Cvlex

Virgil

CVLEX

CARMEN VERGILIO ASCRIPTVM

RECENSVIT ET ENARRAVIT FRIDERICVS LEO

ACCEDIT COPA ELEGIA

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCXCI

HERMANNO VSENERO

PROFESSORI BONNENSI

QVINQVEVICENNALIA

ACADEMICA ET DOMESTICA

FELICITER

VIGINTI TIBI QVINQVE ANNORVM MVNERA MVSAE
QVAE BONA BONNENSES QVAE DEDIT ALMA VENVS
SALVA VENVS SIMVL ET SERVENT MVSAE TIBI ET IPSI
QVAE TVA DICETVR MVSA FVISSE TAMEN

CVLEX

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia,
atque ut araneoli tenuem formavimus orsum;
lusimus: haec propter culices sint carmina docta
omnis et historiae per ludum consonet ordo
notitiaeque ducum voces. licet invidus adsit:
quisquis erit culpare iocos musamque paratus,
pondere vel culicis levior famaque feretur.
posterius graviore sono tibi musa loquetur
nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae magnique Iovis decus aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor
et recinente lyra fautor, sive educat illum
Arna Chimaereo Xanthi perfusa liquore
seu decus Asteriae seu qua Parnasia rupes
hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate deum ludente chorea.
et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
agrestum bona secura †, sit cura tenentis
aerios nemorum cultus silvasque virentes:
te cultrice vagus saltus feror inter et antra.
et tu, cui meritis oritur fiducia chartis,

CVLEX PVBLII VIRGILII MARONIS INCIPIT (*om. B*) 2 ursum 3 culicis 10 dignato spoliantur 14 alma 15 astrigeri 21 tenentes 23 astra

Octavi venerande, meis adlabere coeptis,
sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum
triste Iovis ponitque
Phlegra, Giganteo sparsa est quae sanguine tellus,
nec Centaureos Lapithas compellit in enses;
urit Erichthonias Oriens non ignibus arces:
non perfossus Athos nec magno vincula ponto
iacta meo quaerent, iam sera, volumine famam,
non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas:
mollia sed tenui pede currere carmina, versu
viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.
hoc tibi, sancte puer: memorabilis et tibi certet
gloria, perpetuum lucens mansura per aevum,
et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
debita felicis memoretur vita per annos,
grata bonis lucens. sed nos ad coepta feramur.
Igneus aetherias iam Sol penetrabat in arces
candidaque aurato quatiebat lumina curru,
crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
propulit e stabulis ad patula laeta capellas
pastor et excelsi montis iuga summa petivit,
lurida qua patulos velabant gramina colles.
iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt
corpora, iamque omni celeres e parte vagantes
tondebant tenero viridantia gramina morsu;
scrupea desertas haerebant ad cava rupes,
pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis
densaque virgultis avide labrusca petuntur;
haec suspensa rapit carpente cacumina morsu

---

27 ponitque canit non pagina bellum 30 urat *B* 32 laeta meo volumina 42 penetrarat (penetrat *B*)

vel salicis lentae vel quae nova nascitur alnus,
haec teneras fruticum sentes rimatur, at illa
imminet in rivi, praestantis imaginis, undam.
  O bona pastoris (si quis non pauperis usum
mente prius docta fastidiat et probet illis
omnia luxuriae pretiis) incognita curis
quae lacerant avidas inimico pectore mentes!
si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
sub laqueare domus animum non anget avarum
picturaeque decus lapidum nec fulgor in ulla
cognitus utilitate manet, nec pocula gratum
Alconis referent Boethique toreuma nec Indi
conchea baca maris pretio est: at pectore puro
saepe super tenero prosternit gramine corpus,
florida cum tellus, gemmantis picta per herbas,
vere notat dulci distincta coloribus arva;
atque illum, calamo laetum recinente palustri
otiaque invidia degentem et fraude remota
pollentemque sibi viridi cum palmite lucens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu;
illi sunt gratae rorantes lacte capellae
et nemus et fecunda Pales et vallibus intus
semper opaca novis manantia fontibus antra.
quis magis optato queat esse beatior aevo,
quam qui mente procul pura sensuque probando
non avidas agnovit opes nec tristia bella
nec funesta timet validae certamina classis
nec, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
templa vel evectus finem transcendat habendi,
adversum saevis ultro caput hostibus offert?

---

55 haec salicis 64 domus *excerpta:* domos angit 67 boetique (coetique *B*) 71 dulci *excerpta:* dulcis 73 et *excerpta: om.* 83 nec *excerpta:* non 84 nec transcendit

illi falce deus colitur, non arte politus,
ille colit lucos, illi Panchaia tura
floribus agrestes herbae variantibus adsunt;
illi dulcis adest requies et pura voluptas,
libera, simplicibus curis: huc imminet, omnis
derigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
quolibet ut requie victu contentus abundet
iucundoque liget languentia corpora somno.
o pecudes, o Panes et o gratissima tempe
fontis Hamadryadum, quarum non divite cultu
aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae
securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
pastor agit curas et dum non arte canora
compacta solitum modulatur harundine carmen,
tendit inevectus radios Hyperionis ardor
lucidaque aetherio ponit discrimina mundo
qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces;
et iam compellente vagae pastore capellae
ima susurrantis repetebant ad vada lymphae,
quae subter viridem residebant caerula muscum.
iam medias operum partes evectus erat Sol,
cum densas pastor pecudes cogebat in umbras.
ut procul aspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo, quo quondam victa furore
venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue,
infandas scelerata manus e caede cruenta,
quae gelidis bacchata iugis requievit in antro,
posterius poenam nati de morte datura —
hic etiam viridi ludentes Panes in herba
et Satyri Dryadesque choros egere puellae

88 herbis 91 dirigit 92 requiem victus (victu *excerpta*) 93 licet 96 poeta 97 traducit *excerpta:* traducis 100 solidum 103 oceanus 112 et 114 nati se morte futuram

Naiadum coetu: tantum non Orpheus Hebrum
restantem tenuit ripis silvasque canendo,
quantum te, pernix, remorantem, diva, chorea,
multa tuo laetae fundentes gaudia vultu,
ipsa loci natura domum resonante susurro
quis dabat et dulci fessas refovebat in umbra.
nam primum prona surgebant valle patentes
aeriae platani, inter quas impia lotos,
impia, quae socios Ithaci maerentis abegit
hospita dum nimia tenuit dulcedine captos;
at quibus insigni curru proiectus equorum
ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades, teneris implexae bracchia truncis,
candida fundebant tentis velamina ramis;
posterius cui Demophoon aeterna reliquit
perfidiam lamentandi mala — perfide multis,
perfide, Demophoon, et nunc dicende puellis;
quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
quercus ante datae Cereris quam semina vitae:
illas Triptolemi mutavit sulcus aristis;
hic magnum Argoae navi decus edita pinus
proceras decorat silvas hirsuta per artus:
appetit aeriis contingere motibus astra;
ilicis et nigrae species nec laeta cupressus
umbrosaeque manent fagus hederaeque ligantes
bracchia, fraternos plangat ne populus ictus,
ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae
pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
at volucres patulis residentes dulcia ramis
carmina per varios edunt resonantia cantus.

117 orridus *vel* horridus 118 rivis (ripis *B*) 119 pernigre morantem
120 tuae (tuo *B*²) 124 platane *B* 128 ambustos 129 amplexae
132 mala perfida 133 *om. B* defende 139 montibus 140 et leta

his suberat gelidis manans e fontibus unda,
quae levibus placidum rivis sonat acta liquorum.
et quaqua geminas avium vox obstrepit aures,
hac querulae referunt voces quis nantia limo
corpora lympha fovet; sonitus alit aeris echo,
argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
at circa passim fessae cubuere capellae
excelsis subter dumis, quos leniter adflans
aura susurrantis poscit confundere venti.
pastor ut ad fontem densa requievit in umbra,
mitem concepit proiectus membra soporem,
anxius insidiis nullis, sed lentus in herbis
securo pressos somno mandaverat artus;
stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
ni Fors incertos iussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
immanis vario maculatus corpore serpens,
mersus ut in limo magno subsideret aestu,
obvia vibranti carpens, gravis aere, lingua,
squamosos late torquebat motibus orbes;
tollebant irae venientis ad omnia visus.
iam magis atque magis corpus revolubile volvens
attollit nitidis pectus fulgoribus: ecce
sublimi cervice caput, cui crista superne
edita, purpureo lucens maculatur amictu
aspectuque micat flammarum lumine torvo.
metabat sese circum loca; cum videt ingens
adversum recubare ducem gregis, acrior instat
lumina diffundens intendere et obvia torvos
saepius arripiens infringere, quod sua quisquam
ad vada venisset. naturae comparat arma,

148 superat 149 orta liquorem 150 quamquam 151 querulas *excerpta* 155 excelsisque super quos leniter *excerpta:* quae leviter 163 idae 165 subsideris 167 montibus 168 aurae 170 et se 176 torvo

ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
flexibus eversis torquetur corporis orbis,
manant sanguineae per tractus undique guttae;
spiritibus rumpit fauces: cui cuncta paranti
parvulus hunc prior umoris conterret alumnus
et mortem vitare monet per acumina; namque
qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
hac senioris erat naturae pupula telo
icta levi, cum prosiluit furibundus et illum
obtritum morti misit, cui dissitus omnis
spiritus excessit sensus, tum torva tenentem
lumina respexit serpentem comminus, inde
impiger, exanimus vix compos mente, refugit
et validum dextra truncum detraxit ab orno;
cui casus sociarit opem numenve deorum,
prodere sit dubium, valuit sed vincere talis
horrida squamosi volventia membra draconis,
atque reluctantis crebris foedeque petentis
ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristae;
et quod erat virtus, omni languore remoto,
nec prius aspiciens timor obcaecaverat artus,
hoc minus implicuit dira formidine mentem.
quem postquam vidit caesum languescere, sedit.
    Iam quatit et biiugis oriens Erebeis equos Nox
et piger aurata procedit Vesper ab Oeta,
cum grege compulso pastor duplicantibus umbris
vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
cuius ut intravit levior per corpora somnus
languidaque effuso requierunt membra sopore,
effigies ad eum culicis devenit et illi
tristis ab eventu cecinit convicia mortis.

186 se moris 187 iacta 192 ore 193 qui sociaret 194 voluit tales 197 cristam 198 tardus 199 nescius aspiciens

'Quis' inquit 'meritis ad quae delatus acerbas
cogor adire vices! tua dum mihi carior ipsa
vita fuit vita, rapior per inania ventis.
tu lentus refoves iucunda membra quiete
ereptus taetris e cladibus; at mea manes
viscera Lethaeas cogunt transnare per undas;
praeda Charonis agor. viden ut flagrantia taedis
limina collucent? infestis obvia templis,
obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
et flammas et saeva quatit mihi verbera poenae†
Cerberus, et diris flagrant latratibus ora,
anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis
sanguineique micant ardorem luminis orbes.
heu quid ab officio digressa est gratia, cum te
restitui superis leti iam limine ab ipso?
praemia sunt pietatis ubi, pietatis honores?
in vanas abiere vices. et rure recessit
iustitia et prior illa fides? instantia vidi
alterius: sine respectu mea fata relinquens
ad pariles agor eventus — fit poena merenti.
poena sit exitium, modo sit dum grata voluntas,
existat par officium. feror avia carpens,
avia Cimmerios inter distantia lucos,
quem circa tristes densentur in omnia poenae.
nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
devinctum maestus procul aspiciens Ephialten,
conati quondam cum sint inscendere mundum;
et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae
(implacabilis ira nimis) iacet alitis esca —
terreor, a, tantis insistere terreor umbris.

210 inquit quid meritis atque dilatus 211 me 216 vidi 217 lumina cum lucent omnia 221 arent 222 sanguineaque arbos *B* 226 iure 227 iustitiae prior 230 poena fit 232 cum merios 233 ponae *B* 235 devinctus 237 tityas tuas iras

ad Stygias revocatus aquas vix ultimus amni
extat nectareas divum qui prodidit escas,
gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
quid saxum procul adverso qui monte revolvit,
contempsisse dolor quem numina vincit acerbus?
otia quaerentem frustra sinite, ite puellae,
ite, quibus taedas accendit tristis Erinys:
sicut Hymen praefata dedit conubia Mortis.
atque alias alio densas super agmine turmas *
impietate fera vaecordem Colchida matrem,
anxia sollicitis meditantem vulnera natis;
iam Pandionias miserandas prole puellas,
quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex
orbus, epops, maeret, volucres evectus in auras.
at discordantes Cadmeo semine fratres
iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
alter in alterius, iamque aversatus uterque,
impia germani manat quod sanguine dextra.
eheu mutandus numquam labor — auferor ultra
in diversa magis: distantia numina cerno,
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
obvia Persephone comites heroidas urguet
adversas praeferre faces; Alcestis ab omni
inviolata vacat cura, quod saeva mariti
in Chalcodoniis Admeti † cura morata est.
ecce Ithaci coniunx semper decus Icariotis,
femineum conspecta decus, manet et procul illa
turba ferox iuvenum, telis confixa, procorum.
quid misera Eurydice tanto maerore recessit
poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te?
audax ille quidem, qui mitem Cerberon umquam

241 restat 243 qui averso 244 acerbas 245 siblite 249 tucordam conchida 252 vox it in ed ytyn quod 254 ad catmeo 262 perferre 264 chalcedoniis 265 iharotis 266 concepta illam 270 cerbera numquam

credidit aut ulli Ditis placabile numen
nec timuit Phlegethonta, furens, ardentibus undis
nec maesta obtenta Ditis ferrugine regna
defossasque domos ac Tartara nocte cruenta
obsita nec faciles Ditis sine iudice sedes,
iudice qui vitae post mortem vindicat acta;
sed fortuna valens audacem fecerat ante:
iam rapidi steterant amnes et turba ferarum
blanda voce sequax regionem insederat Orphei,
iamque imam viridi radicem moverat alte
quercus humo   silvaeque sonorae
sponte sua cantus rapiebant cortice avara;
labentes biiuges etiam per sidera Lunae
pressit equos, et tu cupientis, menstrua virgo,
auditura lyram tenuisti nocte relicta.
haec eadem potuit, Ditis, te vincere, coniunx,
Eurydicenque ultro ducendam reddere: non fas,
non erat in vitam divae exorabile mortis.
illa quidem, nimium manes experta severos,
praeceptum signabat iter nec rettulit intus
lumina nec divae corrupit munera lingua;
sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
oscula cara petens rupisti iussa deorum.
dignus amor venia; gratum, si Tartara nossent,
peccatum: meminisse gravest. vos sede piorum,
vos manet heroum contra manus. hic et uterque
Aeacides (Peleus namque et Telamonia virtus
per secura patris laetantur numina, quorum
conubis Venus et Virtus iniunxit Honorem:
hunc rapuit † ferit, ast illum Nereis amavit),
assidet hac iuvenis; sociat te gloria sortis,

---

271 haud 273 obtentu 274 nec fossasque 278 omnes 279 insiderat 281 humo steterant amnes silvaeque 283 luna 284 currentis 294 venia est *excerpta* 295 graves tuos 301 de

alter, in excessum, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
o quis non referat talis divortia belli,
quae Troiae videre viri videreque Grai,
Teucria cum magno manaret sanguine tellus
et Simois Xanthique liquor, Sigeaque praeter
litora cum Troas saevi ducis Hectoris ira
truderet in classes inimica mente Pelasgas,
vulnera tela neces ignes inferre paratos.
ipsa vagis namque Ida patens, feritatis et ipsa
Ida faces altrix cupidas praebebat alumnis,
omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
classibus ambustis flamma lacrimante daretur.
hinc erat oppositus contra Telamonius heros
obiectoque dabat clipeo certamina, et illinc
Hector erat, Troiae summum decus, acer uterque,
fluminibus veluti fragor aedibus in se†
tegminibus telisque super
eriperet reditus; alter Vulcania ferro
vulnera protectus depellere navibus instat.
hos erat Aeacides vultu laetatus honores,
Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Troiam;
rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat et huius
firma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
huic gerit aversos proles Laertia vultus,
et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade iam laetatur ovans, rursusque tremescit:
iam Ciconas iamque horret atrox Laestrygonas [ipse];
illum Scylla rapax, canibus succincta Molossis,

---

302 excissum 303 turba 304 tali devortia bellis 308 duos 309 vidi in 310 tela nete signas 312 daque faces cupidus alumnus 318 velut *B* 319 super sigeaque praeter 322 hoc 324 hectora lustravit victor de corpore troiam 326 arma 327 eversos laeertia 330 lestrigone

Aetnaeusque Cyclops, illum Zanclaea Charybdis
pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
hic et Tantaleae generamen prolis Atrides
adsidet, Argivum lumen, quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
reddidit, heu, Graius poenas tibi, Troia, ruenti,
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
illa vices hominum testata est copia quondam,
ne quisquam propriae Fortunae munere dives
iret inevectus caelum super: omne propinquo
frangitur invidiae telo decus. ibat in altum
vis Argea petens patriam ditataque praeda
arcis Erichthoniae; comes huic erat aura secunda
per placidum cursu pelagus; Nereis ab unda
signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
cum seu caelesti fato seu sideris ortu
undique mutatur caeli nitor, omnia ventis,
omnia turbinibus sunt anxia; iam maris unda
sideribus certat consurgere iamque superne
corripere et soles et sidera cuncta minatur
ac ruere in terras caeli fragor. hic modo laeta
copia nunc miseris circumdatur anxia fatis
immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas aut per cautes Aegaeaque late
litora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae
fluctuat omnis in aequoreo naufragia luctu.†
Hic alii se dant pariles virtutis honore
heroes, mediisque siti sunt sedibus, omnes,
omnes Roma decus magni quos suspicit orbis.

---

332 metuenda (ranolea *Vossianus*) 333 pallantesque 334 gener amplis atride 337 gravius furenti 340 neque propriae 342 decus *excerpta:* deus 343 argo re petens 345 ad undas 346 iacta 351 solis minantur 352 uere letum 355 ereaque 356 perempta 358 sident 360 omnis suscipit

hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
hic et fama vetus, numquam moritura, Camilli,
Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis
devotum pallens consumpsit gurges in unda,
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
legitime cessit cui fracta potentia regis;
hic Curius clarae socius virtutis et ille
†Flaminius, devota dedit qui corpora flammae
(iure igitur tales sedes, pietatis honores),
Scipiadaeque duces, quorum devota triumphis
moenia †rapidis Libycae Carthaginis horrent.
illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
cogor adire lacus, viduos, a, lumine Phoebi,
et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
conscelerata pia discernis vincula sede.
ergo iam causam mortis, iam dicere vitae
verberibus saevae cogunt sub iudice Poenae,
cum mihi tu sis causa mali nec conscius adsis;
sed tolerabilibus curis haec immemor audis,
et tamen ut †vadis dimittes omnia ventis.
digredior numquam rediturus: tu cole fontis
et viridis nemorum silvas et pascua laetus;
et mea diffusas rapiantur dicta per auras.'
dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae,
interius graviter regementem, nec tulit ultra
sensibus infusum culicis de morte dolorem,
quantumcumque sibi vires tribuere seniles
(quis tamen infestum pugnans devicerat hostem),
rivum propter aquae viridi sub fronde latentem

---

361 oratio 362 mora melli 363 medius 364 bellis 366 facta 368 flamminius 369 talis 370 istarum piadasque 374 maxima 375 discernit 376 ergo quam discere 377 ab 378 malignae conscius 379 tolerabilius 383 rapiuntur 390 praeter *B*

conformare locum capit impiger, hunc et in orbem
destinat; ac ferri capulum repetivit in usum,
gramineam [ut] viridi foderet de caespite terram;
iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
congestum cumulavit opus, atque aggere multo
telluris tumulus formatum crevit in orbem.
quem circum lapidem levi de marmore formans
conserit, assiduae curae memor. hic et acanthos
et rosa purpureum crescent rubicunda terrorem †
et violae genus omne, hic est et Spartica myrtus
atque hyacinthos et hic Cilici crocus editus arvo,
laurus item Phoebi surgens decus, hic rhododaphne
liliaque et roris non avia cura marini
herbaque turis opes priscis imitata Sabina
chrysantusque hederaeque nitor pallente corymbo
et bocchus Libyae regis memor, hic amarantus
bumastusque virens et semper florida pinus;
non illinc narcissus abest, qui, gloria formae,
igne Cupidineo proprios exarsit in artus,
et quoscumque novant vernantia tempora flores;
his tumulus super inseritur, tum fronte locatur
elogium, tacita format quod littera voce:
'parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit'.

393 ut *om.* 399 rubibunda *B* 400 omne genus 401 crosus 402 decus surgens 403 rosis 408 cui 412 firma Libellus Qui Nominatur Culex Publii Virgilii finit

Culex Vergili notus erat Lucano adulescentulo, qui, ut narrat Suetonius (p. 50 Reiff.) *praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus est* (quo verbo nisi uteretur Suetonius, modestiam dicti agnosceremus) *dicere: et quantum mihi restat ad Culicem.* quae praefatio potest scripta esse fere octoginta annis post mortem Vergili, saeculo post id tempus quo Culicem a Vergilio scriptum esse Suetonius tradit p. 58 R. inter Lucani autem et Suetoni tempora non magis quam illi de carminis origine dubitabant Statius (silv. 1 praef.; 2, 7, 74) et Martialis (8, 56, 20; 14, 85). atque primitias quidem illas esse artis Vergilianae omnes consentiunt, a poeta non sedecim annorum, ut apud Suetonium legitur, Culicem scriptum esse Statius indicat cum Pharsaliam Lucanum composuisse dicit *ante annos Culicis Maroniani.* contrarium testimonium nullum extat, siquidem testimonii loco haberi non potest quod in vita Valeri Probi commentario praemissa neque illius neque aliorum opusculorum Vergilio ascriptorum mentio facta est. atqui carmen non esse a Vergilio scriptum tam certo constat, ut mirari quidem liceat antiquitatem et poetas romanos falso nomine deceptos, dubitare quin decepti fuerint non liceat. adeo et sermo diversus est a Vergiliano, nempe obscurus et impeditus, et ars diversa, ut quae sit astricta legibus Vergilio ignotis; quae qui puero poetae, quamvis ab eiusdem adulescentis ingenio

aliena sint, imputare non dubitet, prohibeatur imitatione manifesta bucolicorum georgicorum Aeneidis, cuius singula exempla hic praecepisse satis erit, de bucolicis v. 292, de georgicis v. 58 sq., de Aeneide v. 179. atque ipse Ribbeckius, qui originem Vergilianam in appendicis prolegomenis defenderat, diversam sententiam dixit nuper in poesis latinae historia (volum. 2 p. 349 sq.). quod si quis vel alium fuisse Vergili Culicem vel ab interpolatore amplificatum hunc quem tenemus contendat, non nostrum est coniecturam facere si qui narrent nobis quid somniaverint. ergo suppositus est Vergilio Culex (nam sine fraude auctoris non facile homines illius aevi carmen Vergilio tribuissent) et post mortem quidem Vergili suppositus; certioribus finibus carminis tempus quomodo describi possit non video, nisi quod annis non paucis ante Lucani adulescentiam editum esse debet. non licet igitur de tempore tam recenti cogitare quam facere videtur Hehnius in libro de plantatis et pascendis p. 539 (cf. ad v. 402). certe synaloepha vitata praeter breves vocales non necessario ad Neroniana tempora nos ducit, siquidem severius iam Horatius egit in epodon sexto decimo; poetarum autem quod ille Lucretium Catullum Vergilium, Vergilio recentiorem nullum expressisse videtur (nam de Ovidio res incerta, cf. Birtius ad hist. hex. lat. 41 et Buechelerus mus. Rhen. 45, 324 et quae ad v. 323. 328. 332. 399 dicemus; nec persuadent quae de Propertio Tibullo Lygdamo attulit Birtius l. s. et de Halieut. 47 sq.), potest consilium poetae in causa esse, non aetas. non ego haec ideo dico quia a Vergili aetate quantum potest carmen removendum esse censeam; immo quid sentiam si dicendum est, non multo post Vergili mortem carmen scriptum esse iudico et, si per exordium licet (de quo vide infra), ante mortem Augusti.

Lepidum poematis argumentum (nam lepidum esse non negabit si quis argumentum magis quam tractationem consideret) eo modo auctum et inflatum videmus quo a poetis novellis graecis et latinis saepe factum esse probabile est. quamquam hoc unum exemplum habemus tenuis et ludicrae materiae ad granditatem sonus heroici elatae cum imitatione epicae elocutionis; nam carmina qualia Aviani fabulas huc nemo trahet. item doctrina quam ostentat poeta non minus quam implicatum et figuratum locutionis genus ad neotericorum poetarum affinitatem illum adiungit. neque vero ipse argumentum primus invenit et tractavit, sed graeci poetae, profecti illius a fabella aliqua vulgari (qualem de Cissamide Coo narratiunculam Birtius de halieuticis p. 52 sq. contulit), exemplar secutus esse videtur; nempe sine exemplo si argumentum tractasset, accidere poetae non potuisset, ut graves res ad argumentum pertinentes plane neglegeret, qua de re exponemus ad v. 210 sq., de aliis passim. sed non expressit exemplar suum, sed libero gressu incedens qua ducebat poesis Vergilianae imitatio, sequebatur. haec, utpote in sensu et opinatione magnam partem posita, non amplius persequar; videamus ecquae de editi carminis historia certiora proferri possint.

De appendicis Vergilianae historia et fatis multi quaesiverunt; quibus quaestionibus nocuisse videtur opinio a Naekio (carm. Val. Cat. p. 223) concepta et ab omnibus recepta de corpore opusculorum Vergilio ascriptorum, quod ab ipsa antiquitate ad nostra tempora pervenerit. qua de re quid statuendum sit consideremus. atque primum quidem quasi laterculum quendam collectionis illius tradere putant Donatum in Vergili vita e Suetoni opere transcripta; qui epigrammate in Ballistam adlato sic pergit p. 58 R. *deinde (fecit)*

Catalecton et Priapeia et Epigrammata et Diras, item Cirim et Culicem. scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam (nam quod interpositum est argumentum Culicis, id Donatus ex codice suo Suetonio inseruit). hic de corpore opusculorum verbum nullum; enumerantur tres collectiones, quarum prima post mortem poetae facta (catal. 14) suo epigrammate concluditur *(vate Syracosio),* altera nunc quidem tria poematia comprehendit, sed in codicibus cum priore ita coniuncta est ut eam antecedat titulo *catalepton* subiecta; tertia servata est in anthologia Salmasiana (256—263 R.), sed nec solida nec integra; deinde tres libelli et de quo ambigitur quartus. accedit vita Servi commentario Aeneidis praemissa. quae vita excerpta est ex ipso Suetonio, paucae res ex commentariis adiectae vel mutatae. ille igitur quod post Ballistam narrat *scripsit etiam septem sive octo libros hos: Cirin Aetnam Culicem Priapeia Catalecton Epigrammata Copam Diras,* testimonium idem est sive potius unius amissi relationes duas tenemus. atque Servius aliter quam Donatus titulos disponit: orditur a libellis grandioribus tribus, pergit ad collectiones, postremo loco carmina minora et singula ponit; Copam aut ipse adiecit aut Donatus omisit. Aetnam ordini inserit, sed quod Suetonius dixit de Aetna ambigi, ille septem sive octo libros esse narrat. hinc sequitur ordinis mutationem a Servio factam esse, Suetonium autem de corpore poematum non magis locutum esse quam Donatum, sed catalogum libellorum dedisse quem excerptori prout luberet reddere liceret. unum restat quod ad rem pertinere viri docti iudicant testimonium Diomedis, cuius verba p. 512, 27 *priapeum, quo Vergilius in prolusionibus suis usus fuit, tale est* (sequitur versus ficticius) fortasse ab eo secundi saeculi grammatico scripta sunt,

qui hanc partem capitis de versuum generibus primus composuit; sed prolusionum vocabulum non titulum libelli corporisve indicat, sed nihil dicit grammaticus nisi Vergilium, in operibus quae ab omnibus tractantur uno heroo metro usum, illis cum praeluderet etiam priapeum usurpasse; quo verbo Statius utitur in re eadem l. s. *nec quisquam est illustrium poetarum qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Culicem autem libellum singularem testatur Martialis 14, 185.

Illud igitur quod fuisse voluerunt corpus appendicis Vergilianae, aliis nonnullis carminibus auctum ad medium aevum propagatum esse viri docti sibi persuaserunt. atque syntaxin quidem talium opusculorum tradit nobis Bembinus codex et cognati; cui subscriptum est in Bembino *septem ioca iuvenalia Vergilii finiunt* et inscriptum elegantius non verius in Colbertino *poetarum sapientissimi P. Vergilii Maronis condiscipuli Octaviani Augusti mundi imperatoris iuvenalis ludi libellus incipit.* septem illa ioca iuvenalia haec sunt: Culex, Dirae, Copa, Est et non, De institutione viri boni, De rosis, denique Moretum ignotum Suetonio. quae collectio quo tempore facta sit ipsa clamat, nimirum eo quo tria illa carmina Ausoniana (c. XXX XXXI Sch., VII, 3. 4 P., de Roseto [app. II Sch.] cf. Schenkeli praef. p. XXXVI) Vergilio tribui possent; ergo non pridem facta erat cum scriberetur codex Bembinus. aliam collectionem Bruxellensis praebet: Cirin, Priapea, Catalepton, priapeum Tibullianum, elegias in Maecenatem; aliam Monacenses: Moretum, carmina duo A. L. 392. 160 R. (123. 164 Baehr.), elegias in Maecenatem, Diras, priapeum Tibullianum, Copam; aliam excerpta Parisina: Culicem Aetnam Cirin; Aetnam cum Culice coniungit Cantabrigiensis,

cum Bembini collectione Stabulensis. atque verum est in Bruxellensi extare ea fere opuscula quae in 'iuvenalis ludi libello' desunt et credi posse, utramque collectionem uno corpore coniunctam fuisse ultimis antiquitatis temporibus, cuius corporis vestigium ostendant in excerptis Parisinis sese excipientes Culex Aetna Ciris. sed non minus probabile est, vagantia poemata et poematiorum syllogas ab aliis alia codicibus comprehensa esse et sic servata; certe quae demonstrari potest carminum Vergilianorum sylloga una est 'septem iocorum'.

Haec igitur sylloga Culicem nobis tradidit, i. e. codex Petri Bembi nunc Vaticanus, saeculi IX., de quo ipse rettulit in dialogo 'de Culice Vergilii et Terentii fabulis' cuiusque lectionem ex Zangemeisteri collatione Ribbeckius edidit, et saeculo uno duobusve recentiores eius cognati, qui libri omnes unum codicem reddunt cuius Bembinus apographon est. archetypus non multo vetustior fuit Bembino, ut docere potest v. 334, ubi *generamen prolis* egregie restituit Ribbeckius, codices praebent *gener amplis* scripturam compendio satis novicio ortam. huius codicis variam lectionem ipsi carmini adnotavi, usus Ribbeckii copiis ut fecit Baehrensius; discrepantes a reliquis Bembini scripturas ubi videbatur significavi, interdum Bembini cum uno alterove consensum indicasse satis habui; omnino de archetypi lectione non saepe dubitari potest. accedunt excerptorum Parisinorum scripturae nonnullae (habent v. 58—85, 89—100, 146—159, 225, 294, 340—342), quae ostendunt ex alio sed cognato codice istas eclogas fluxisse. ad archetypum autem reliquorum per multos corruptionis gradus redit codex s. XV. Vossianus, cui multum editores recentiores omnes tribuerunt, plurimum Baehrensius. lectionem habet ab homine docto

audacibus correcturis interpolatam neque quicquam utile praebet praeter coniecturas; sed in ultima carminis parte exemplar eius variam lectionem habuisse videtur ex fragmento codicis nunc amissi ascriptam, qua de re explicatius disseram ad v. 318.

Me ad carmen de culice accuratius tractandum non virtus poetae allicuit, etsi plura in eo laudanda sunt quam criticorum fastus concedere solet, sed, ut accidit philologis, difficultas sermonis et proprietas. sane nullum novi carmen latinum quod ad intellegendum difficilius sit, non ipso Propertio excepto, cuius sane obscuritas causas habet multum a Culicis obscuritate diversas; cuius auctor ut erat inops verborum laboriosissime verba elegit, audacissime composuit, artificiose figuravit. proprietate autem sermonis longe distat a magnis poetis et litterarum dominatoribus illis, qui in fastigio latinitatis positi soli latine loqui hominibus elegantioribus videntur; ille aliena habet a poetica urbanitate non pauciora quam a pedestri urbanitate Varro. artis autem cura et severitate antecedere studebat etiam nobiles poetas, ut Lygdamus ipsum Tibullum, doctrinae variis copiis ornatum ut splenderet opus sollertem operam dabat. nobis certe, qui non summas tantum sed inferiores quoque litterarum regiones perquirere studemus, magni pretii est iste ingenii mediocris, animi diligentis fructus ex ingenti talium lusuum copia servatus; ostendit enim quanta arte etiam ludentibus opus fuerit in ista artis perfectione et gloria. verum ut carmen edi solet levibus coniecturis perpolitum et levigatum, omnem fere perdidit propriam indolem. nempe inde a saeculo XV. usque ad novissimum editorem de Vergili carminibus egregie meritum interpolatio arbitraria a viris doctis et doctissimis quoque profecta pristinam carminis speciem fucavit et oblitteravit. ipse Hauptius

in hoc carmine emendando Italorum veterum licentia usus est. ego cum codicum lectionem probam et, quantum fieri potest in tot librariorum opera et opusculo non a grammaticis veteribus in scholae usum tractato, integram esse intellexerim, carminis memoriam interpretatione restituendam et vindicandam suscipiam, emendandam ea ratione quam carmini non praeter modum corrupto adhibere par est. proferam autem non quaecumque de rebus verbisve carminis dici possunt, sed quae ad interpretationem pertinent; nam *μέγα βιβλίον* facere non est in animo.

Virorum doctorum commentarios et emendationes quibus locis usus erit commemorabo, sed non pugnabo cum libellorum quorundam novellorum auctoribus, quorum opera uti si possim velim. artem et elocutionem poetae diligenter tractavit et cum Vergilio comparavit Fridericus Baur in Fleckeiseni annali 93 p. 357 sq.; de synaloephae norma praeter ceteros egit Birtius de Halieut. p. 49 sq. Buecheleri adnotationes in musei Rhenani vol. 45 p. 324 sq. cum ederentur, de priore parte carminis, ad quam pertinent, iam perfeceram commentarium; ergo alia reliqui ut scripseram et Buecheleri assensum adnotavi, alia quae non recte vel confidenter nimis me disputasse viderem, ex illius sententia commutavi. Sed iam ipsum carmen ut poterimus interpretabimur.

1 Octavius cuius nomini carmen dedicatum legimus, si re vera puer fuit eo fere tempore quo carmen scriptum esse intelleximus virili toga donatus donandusve, quis fuerit ignoramus. certe Octavius historicus vel epicus (catal. 11), Octavius Horati (sat. 1, 10, 82), Octavius Musa (Serv. bucol. 9, 7) non maiore iure quam ad unum rediguntur cum illo componuntur.

nec magnopere mirandum sit si ignoremus praetextatum nobili loco ortum, quem venerandum quidem post deos poeta appellat (25, cf. Aen. 9, 274 ubi Ascanius Euryalum adfatur *venerande puer* [cf. Stat. Theb. 12, 73], Hor. epist. 1, 18, 73 *venerandi limen amici* scilicet patroni, Stat. silv. 5, 2, 8 *puer inclite,* 27 *clare puer,* 82 *puer optime* de puero sedecim annorum, v. 12. 66), sed praedicare tantum castitatem potest (*sancte puer* 26. 37, ut Phaedrus Particulonem adfatur *vir sanctissime* 4 epil. 4, cf. Stat. l. s. 72 et quae de Octaviano Cicero dicit Phil. 3, 15 et 13, 19) ac ne doctrinam quidem sed sensum (10), cetera in spe sita esse apertis verbis declarat (37 sq.) ut de Messalino Tibullus, de Pisonibus Horatius, de Bolano Statius, de Marcello Vergilius (6, 875, cf. Serv. *rhetorice spem laudat in puero quia facta non invenit*) vel Crinagoras Thesei illi augurans *κλεινοῦ αἶνον ἴσον βιότου.* scilicet, ut Ciceronis verbis utar, causa difficilis laudare puerum, non enim res laudanda sed spes est. sed duo sunt quae vetant ne in tali deliberatione acquiescamus. primum non facile illius temporis Octavius aliquis ostendetur satis nobilis quem puerum poeta adloquatur ut facit; exemplis ut utar, Octavius Fronto qui a. 16 p. Chr. praetura functus erat (Tac. ann. 2, 33), vel C. Octavius Laenas qui a. 34 curator aquarum factus est (Frontin. 102), quorum aetas fortasse conveniat, adulescentuli non erant tantae nobilitatis; neque in fastis sub Augusto Octavius nec notior ullus. quippe gentis Octaviae familia patricia (Suet. Aug. 2) adhuc libera re publica defecerat: (*statua Cn. Octavi*) *nunc ad tantae familiae memoriam sola restat* ut Cicero ait Phil. 9, 5; M. Octavius Cn. f. apud Actium contra Octavianum pugnabat (Plut. Ant. 65), Octavianus fratrem non habebat. de Marso Dolabellae legato a. 711 et Lae-

natium familia aliisque illius aevi Octaviis cf. Borghesius operum 4, 490 sq. accedit ut spes quam de puero concipit v. 37 sq. nimia sit in puero quantumvis nobili, eo aevo praesertim quo nisi de imperatoria familia talibus verbis nemo uti potuit. quibus argumentis ad eam sententiam perducimur, quam et alii protulerunt et Bauerus l. s. p. 375, ut scilicet poeta qui sese finxerit Vergilium adulescentem, carmen se mittere simulet ad C. Octavium, qui postea Caesar Octavianus factus est, puerum Romae versantem eo tempore quo Vergilius ibidem studiis incubuit. quod si de puero fere quindecim annorum poetam cogitasse probabile est, Vergili aetatem eam potius haberi voluit quam Statius innuit, quam cuius Suetonius nobis auctor est.

Ille igitur quisquis fuit carmini satis grandi et magni oris ita praefatur ut lusisse se dicat *gracili modulante Thalia;* quo Musae nomine quod in lusu commendando utitur, cum e. g. Manilius gravem materiem velit *in numerum Phoebo modulante referre* (1, 19; cf. Colum. 10, 228), imitari videtur Vergilium, qui ne ipse quidem sine consilio *prima Syracosio dignata est ludere versu nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.* etenim Musas tamen etsi illo tempore provincias nondum certas tenuisse constet et e. g. Vergilius Aen. 7, 37 Erato *pro qualicumque Musa* posuerit (Serv.), tamen et Terpsichorae sortem descripsit Chrysippus et reliquarum ut videtur (Plut. symp. 9, 14, 1; Cornutus p. 15 sq. L., cf. Muenzelius de Apoll. περὶ θεῶν p. 27) et Eratus munus ex vi nominis definivit Ovidius, qui ipsam Thaliam fere constanter suam Musam
2 appellat. gracilis Musa est, poeta *tenuem formavit orsum* ut araneoli orsum (nam sic latini lectores verba coniunxerunt, non *ut araneoli formavimus*). orsus vo-

cabulum praeter hunc locum lexica testantur ex Cicerone de div. 2, 63, ubi versus Homericos latine reddens non verbum verbo expressum extulit *(vanos pectoris orsus)*; habet Statius Achill. 2, 335 (49) *paulum repetito longius orsu* (*ortu* Puteaneus); hic poeta proprio sensu ad telam texendam pertinente quem in ordiendi exordiendi exordii vocabulis Festus testatur p. 185 et lexigraphi alii, agnoscit cum Plautus (Pseud. 399, Bacch. 350) tum Cicero aliique, vide quae Plinius 11, 80 sq. de erudita operatione araneorum telas ordientium narrat, quemque ad orationem instituendam transferre pronus erat sermo. orsibus autem successerunt *orsa*, quo vocabulo utitur consolator Liviae 210, Valerius Flaccus 1, 21 (Manil. 2, 57 traditum est *nulli vatum debebimus ora*, cf. 5, 480) et omnibus saepius Statius, qui tamen silv. 4, 4, 87 (*nunc si forte meis quae sint exordia Musis scire petis*) et passim in Thebaide eo vocabulo usus est quod certioris translationis significatum excedere plerique non sinebant; de Columellae usu vide Gesneri lexicon rusticum s. *exordium* et in proverbio apud Quintilianum 5, 10, 71 *exordium pullum*. Statius *orsa Sallusti* habet silv. 4, 7, 55; Livio (praef. 13) nunc restitutum est *orsis tantum operis*. antiquioribus sollemnis locutio *coepta*, cf. Cul. 25. 41. formandi verbum positum ut apud Catullum 64, 313 in Parcarum opera. — *lusimus, haec propter culicis* 3 *sint carmina docta.* sic illa tradita sunt, correctum et in libris nonnullis et post Italos communi consensu *sunt* (vel *sint*) *carmina dicta.* sed modum verbi vindicat sequens *consonet,* adiectivum ipsa doctrinae ostentatio per totum carmen manifesta. priora verba potius explicatione egent. atque ut sequenti versu *historiam* videbimus attenuari quasi et circumscribi addito *per ludum,* ita his verbis *haec propter*

culicis sint carmina docta consentaneum est doctrinae genus quodam modo determinari, ut in re tenui ac minuta eam versari indicetur. *haec propter* coniungere vereor, quoniam carmen ipsum est lusus ille, non carmen propter lusum, et *culicis carmen* num componere voluerit dubito; Nelei Priamive carmina ipsa incerta. facile erat talia temptare: *haec pro re culicis sint carmina docta;* sed viam doctus amicus mihi monstravit, qui coniungendum esse vidit *propter culicis* ac dicere poetam: haec docta carmina propter culices sint, culices in causa sint ut doctum carmen extet, culices minutum ac despectum genus, mali culices qui somnum avertunt (Hor. sat. 1, 5, 14), quos cum pediculis pulicibusque componunt vel Aristophanes vel Plautus (Plut. 537, Curc. 500). praepositionis exempla Properti 3, 19, 19 *quam propter tota Mycenis infamis stupro stat Pelopea domus,* Ciceronis ad Att. 10, 4, 1 *istos quos propter omnia amisimus,* ad fam. 7, 27, 2 *me propter quem ceteri liberi sunt,* Luccei inter Ciceronianas ep. 5, 14, 2 *qui propter acumen occultissima perspicis.* hic igitur totum genus plurali numero significavit, nec sine consilio, ut v. 7 singulari: *pon-*
4 *dere vel culicis levior famaque feretur.* pergit *omnis et historiae per ludum consonet ordo* i. e. historico epicove generi omnis poematis ordo consonet, sed per ludum (aliter Manilius 2, 522 *sic veri per totum consonat ordo,* cf. 3, 207). nempe haec est historia, quam *pedestribus historiis* opponit Horatius carm. 2, 12, 9, quam lusibus sat. 1, 10, 36 *turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque diffingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,* ut historiam et iocum componit Cicero ad Atticum scribens 2, 8, 1 *si quid in ea epistula fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus; sin nihil praeter iocationem, redde id ipsum.* sic Pro-

pertio *maxima de nihilo nascitur historia* (2, 1, 16 cf. 14), Caesar Sulpici Carthaginiensis Aeneidem servans *Latiae consulit historiae.* genus epicum imitabatur murum et mustelarum pugna, Romae olim famosa, *historia quorum et in tabernis pingitur* (Phaedr. 4, 6 cf. Babr. 31); a Musarum invocatione incipit Batrachomyomachia, cum qua non imprudens Statius componit Culicem, ad cuius ludicram historiam Phoebus Musae Pales excitantur. *ἡ τάξις* heroicum poema imitabitur, item (ut Buechelerus intellexit, v. p. 325) *ἡ φράσις: notitiaeque ducum voces* scil. conso- 5
nent per ludum, quibus modis duces loqui notum est verba carminis eligentur; ubi apparet quatenus poetice deflexa sit *notitiae* significatio a vulgari quam habet e. g. Cornelius Nepos Att. 18, 4 *quibus libris nihil potest esse dulcius eis qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum.* duces latini carminis heroes sunt: *res gestae regumque ducumque et tristia bella quo scribi possent numero monstravit Homerus,* Vergilius cecinit *pascua rura duces,* Augustus *proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit* (Suet. 31), *virtute functos duces* canebant in conviviis. ut heroes deique loquetur culex, ut de illis de culice referetur. utamur exemplis. v. 225 culex queritur: *praemia sunt pietatis ubi, pietatis honores?* locutione utitur qua Venus Vergiliana (1, 253, cf. epic. Drusi 133) *hic pietatis honos?* culicem scilicet *morti misit* pastor v. 188, Aeneas *Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum, tris uno congressu, et maestum mittit Oniten* (Aen. 12, 515, cf. Stat. Theb. 12, 764). ergo oeconomia et elocutio epicam consuetudinem expriment in re scilicet non seria, ut factum videmus in carmine parodico ex antiquitate graeca servato, ut incepit Timo *ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι,* ut Horatius carmen quasi

epicum in satura exordiens *nunc mihi paucis Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri, Musa, velim memores et quo patre natus uterque contulerit litis,* etiamsi scurrarum altercationem vocibus epicis exornare noluerit; exornavit apium pugnam Vergilius georg. 4, 67 sq. videmus commemorari, ut haec complectar, in initio carminis ludicri materiam ordinem elocutionem: ne rhetorum locos cumulem, vide Horati art. poet. 38 sq. *sumite materiam vestris qui scribitis aequam viribus.* — *ordinis haec virtus erit* e. q. s. *in verbis etiam* e. q. s.

Absolutae sententiae nescio an non apte conectatur
5 *licet invidus adsit.* quae verba neque egent fulcro
constructionis et vi sua ad sequentia trahuntur, quibus
praesagiente animo vates obtrectatori portendit infamiam
7 (*feretur* non *feratur*) simul apertius indicans non ex
materia carminis, levissima scilicet et despecta, laudem
se quaerere, sed ex tractatione. in futurum tempus
8 (*posterius* ter posuit, cf. 114. 131, adverbium non
poeticum, sed Lucretio usitatum; Manil. 2, 750) gra-
9 viora promittit et magis elaborata: *dabunt cum securos
mihi tempora fructus.* quos quod *maturos* esse maluerunt, infregerunt sententiam et quae insecuntur *ut — poliantur* verba sensu suo destituerunt. certe non ad pacem orbis terrarum pertinet ista securitas, sed ad ipsum curis solutum, quibus nunc se angi innuit; cum puer patronus vir factus praemia artis largiri poterit vati suo, otium suppetet carminibus curiosius expoliendis.
10 cf. Buechelerus p. 325. quod traditur *spoliantur,* i. e. *expoliantur,* synaloephae genus Cirin non dedeceat (v. 95), ab hoc poeta alienum est. iure igitur simplex verbum restituerunt non Itali tantum, sed iam saec. XIII ineuntis librarius, si recte aestimaverunt codicis Harleiani, qui Culicis initium praebet, aetatem. versus admonent

Lucreti 3, 419 *conquisita diu dulcique reperta labore*
digna tua pergam disponere carmina cura.

Novum incipit prooemium, quod non miramur 11-41
qui intellexerimus quid sibi voluerit alterum. nimirum
non ad id genus exordiorum ista pertinent, quod ad illu-
strandam eclogam Vergili octavam tractavit Vahlenus
ind. lect. 1888 p. 3 sq., sed praefationem excipit carmen
ipsum gravioris argumenti imitatione rem levem ex-
ornans. cuius ut 'omnis ordo historiam' imitetur, a
prooemio incipiendum est, quod invocationem continet
deorum et patroni simulque argumentum commendat;
fere ut Horatius post principium carminis: *Matutine*
pater — tu carminis esto principium. atque consilium
ut satis apertum est, ita re ipsa statim apparet: *Latonae* 11
magnique Iovis decus, aurea proles (quod asyndeton
aliquanto durius est quam 265 *Ithaci coniunx semper*
decus Icariotis, ubi non toleraverunt) *Phoebus erit* 12
nostri princeps et carminis auctor (genero hyperbati
tam usitato optimis poetis, ut exemplis nihil attineat
refutare eum qui nuper barbarum dixit) *et recinente*
lyra fautor: et *princeps* non in principio positus hic
initium carminis esse declarat et *recinente lyra fautor* 13
(cf. Tib. 2, 5 in.) poetam modulante Phoebo canturum
esse indicat, qui v. 1 dixit se lusisse *modulante Thalia.*
ergo manifesto consilio haec segregavit. *carminis*
auctor Apollo Tibullo est 2, 4, 13 (Birtius ad hist. hex.
lat. 41), cf. German. Arat. 2. doctrina autem refertum
est prooemium, vetustis locorum nominibus (nam
v. 14 et 15 ita emendati sunt ab Hauptio et Italis ut 14.15
verbo non egeant), novo Lycii fluminis epitheto,
Naidibus musis. deum vero sacrorum locorum
alumnum quod advocat, miro modo non compellat;
nec video quo carminis initio excusare rem potuerit
nisi Batrachomyomachiae: *ἀρχόμενος πρῶτον Μουσῶν*

χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ ἐπεύχομαι εἵνεκ' ἀοιδῆς.

20. 21 Post Phoebum Musasque v. 20 advocat Palem, *ad quam ventura recurrit agrestum bona secura.* quae verba duplici corruptela laborant. neque enim, *ventura bona* si tenemus (cf. e. g. Cic. Tusc. 4, 14 *opinio venturi boni,* Prop. 1, 9, 18 *venturi prima favilla mali* ut Lucanus 7, 105; Stat. silv. 4, 4, 81 *virum ventura propago,* Theb. 12, 74 Ach. 1, 267 *venientia gaudia,* Verg. Aen. 3, 158 *venturos nepotes*), aut *recurrit* aut *secura* teneri potest, neque si cum plerisque *bona turba* vel quae eius generis sunt substituuntur, priore aut altero versu procedit sermo metrumve. atque quod Buechelerus ex Helmstadiensi partim, partim ex Vossiano adsumpta lectione scripsit *ad quam ventura recurrunt agrestum bona fetura,* nescio an sententiae non omnes numeros expleat. scilicet ad Palem quod poeta se convertit, eius rei in enuntiato interposito aliquam rationem reddi expectamus; qualem sententiam cum in his verbis *ad quam recurrit agrestum bona* — incohatam videam, haec potissimum tenebo. iam ut perfecta fiat ex imperfecta oratio, praevertimur ad locum statim sequentem, splendide exornatum illum ad georgicorum exemplum, de fortunata vita pastorum 58 sq.: *o bona pastoris* e. q. s.; ad Palem igitur recurrit qui dicturus est agrestium bona. sententiam recuperavimus, de verbis dubitandum. *secura* autem adiectivum eicere non sustinemus, ut quod nimis apte se coniungat cum bonis agrestium, quae statim poeta dicat *incognita curis* (v. 60). periclitamur igitur coniecturam audaciorem quam pro huius carminis integritate, scripsisse poetam *ad quam secura recurrit agrestum bona dicturus;* neque improbabile est sic ortam esse corruptelam, ut *secura* in *ventura* abiret, deinde *secura* in margine apponeretur

et errore tralaticio in sequenti versu locum non suum occuparet. de participii usu cf. Colum. 10, 26 *ne gravis hausturis tendentibus ilia vellat,* Stat. Theb. 1, 170 *venturus amatur. recurrit* dixit, non *recurro*, ut id facere significaret quicumque dicturus esset, invicem Horatius (A. P. 235) *non ego inornata et dominantia nomina solum — satyrorum scriptor amabo,* non *satyros scripturus amabit.*

Poteram ab altera parte incipere et ostendere, quae secuntur verba *sit cura tenentis aerios nemorum cultus* 21
(nam participii terminatio, de qua ne consentiunt quidem libri vetustiores, neminem morabitur) nec divelli posse nec meliora fieri corrigendo. cf. paneg. Mess. 197 *nostri si parvola cura sit tibi.* iam apparet quae sit sententiae forma et ratio. anacoluthon (cf. Buechelerus p. 325) vel eo excusatur quod tale initium *et tu* paene necessarium erat in invocatione; et consimiliter, licet artificiosius constructo circuitu (qua de re luculenter disseruit Vahlenus in ind. lect. 1888 p. 6), Vergilius octavam eclogam incohavit: *tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi — en erit umquam ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta;* nam Culicis quoque poeta ad *et tu* magis subaudiri voluit velut *canenti ades* quam quod interiecta agrestis felicitatis mentione quasi improviso se praebuit *sit cura tenentis* nemora silvasque; quod sentiet qui substituere temptabit cum Bembo *et tibi.* constructionis autem sive audacia sive neglegentia neque Graecum sensum offendit nec Romanum. sic Plautus (Pseud. 855) *nunc adeo tu, qui meus es, iam edico tibi* et Euripides (Troad. 417) *καὶ σοὶ μέν, οὐ γὰρ ἀρτίας ἔχεις φρένας, Ἀργεῖ' ὀνείδη καὶ Φρυγῶν ἐπαινέσεις ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι.* —
nemorum cultus poetae nec librarii concesserunt nec 22
editores; atque 'nemora numquam culta, semper in-

culta dici', ut ait Silligius, verum non est, cf. georg. 2,
14 sq.; *cultus nemorum* ut *cultus locorum* Statius silv.
2, 2, 41; 3, 5, 89; neque in campis tantum arbores
coluntur. sed qui nemora inter hominum domicilia
sita intellegere dubitabant, iure dubitabant, siquidem
deae tutelam sibi expetit poeta. 'nemorum cultus nove
et audacter scribit, quia iam tritum erat cultor ne-
morum' Buechelerus; atque hoc illum voluisse sequens
23 versus comprobat, ubi quod dicit *te cultrice vagus saltus
feror inter et antra* (nam *astra* Heynius correxit), loca
inculta indicat quae tantum Pales colat, ut quae apta
sint pascendis pecoribus tantum (cf. Lucr. 5, 955. 1386).
illa igitur quos colit saltus, ne ipse quidem timebit.
te cultrice dixit ut Vergilius *mater cultrix Cybelae,
nemorum cultrix Latonia virgo* (Phaedrus 2, 4, 3 *sus
nemoris cultrix*), sed audacia locutionis non illum
aequavit, sed Catullum, qui item nomen a genetivo non
suspendit 64, 299 *caelo te solum, Phoebe, relinquens
unigenamque simul cultricem montibus Idri.* — Grattius
cyneg. 69 *cultorque feri Tirynthius orbis* (cf. 38) in-
tellegit eum qui orbem cultum fecerit.

Iam ad patronum se convertit v. 24 eumque, ut
25 alii deos aspirare quasi ventos velis, sic quasi navi
maris undam adlabi carmini suo iubet; quem quod
24 adfatur *tu cui meritis oritur fiducia chartis,* non credo
poetam dicere, patrono puero scriptorum merito iam
ab aliis fiduciam haberi; quam unam explicationem
tradita verba admittunt. *oritur fiducia chartis* ipsis
scilicet quae carmen recipiunt, *paginae* sequentis versus.
fiducia autem in hoc rerum conexu niti non potest
nisi favore patroni. Vergilius georg. 3, 42 *te sine nil
altum mens incohat,* ubi Servius: *non meo ingenio, sed
tuo fretus imperio ad hoc carmen accessi*, Cicero ad
Atticum 7, 2, 4 *in iis libris quos tu laudando animos*

mihi addidisti, Manilius 1, 7 *hunc mihi tu, Caesar, — das animum viresque facis ad tanta canenda.* unam igitur corruptum epitheton patitur emendationem, a librorum memoria non longe remotam: *cui fretis oritur fiducia chartis.* atque dandi casum cum hoc adiectivo coniunctum quod e Livio tantum enotavere grammatici, multa alia in hoc carmine a communi usu recedere videmus et videbimus. sequentes versus quod 26-28
exitum errore bis positum et altero remoto lacunam praebent (cf. 281. 319 et e. g. Plauti Trinummi 1174 *B*), temere videmus ab editoribus priorem versum mutilari, alterum relinqui intactum; temere, siquidem sic mutanda erat tradita pronominis forma versu 28 (*triste Iovis Rhoetique canit non pagina bellum, Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus* ut vulgo legitur). quod pronomen ipsum nos docet quo pertineant verba bis scripta. quod si tenemus *tibi namque canit non pagina bellum triste Iovis,* quanto aptius verba sunt composita. incipit quasi rem ipsam enuntiaturus *tibi namque canit,* pergit quasi ludibundus ille *τὸν ἄργυρον τορεύσας Ἥφαιστέ μοι ποίησον πανοπλίας μὲν οὐχί,* igitur tantum subiecti hyperbaton fit (durius v. 30). *bellum Iovis* supplemento non eget, celebre illud et unum Iovis bellum sponte intellegitur, cf. Ovidi trist. 2, 69 *fama Iovi superest, tamen hunc sua facta referri et se materiam carminis esse iuvat, cumque Gigantei memorantur proelia belli, credibile est laetum laudibus esse suis*; bellum scilicet Iovis *clari Giganteo triumpho,* ut *gentis Aquitanae celeber Messalla triumphis,* ut Pollioni *laurus aeternos honores Delmatico peperit triumpho,* ut de suo bello Ovidius loquitur amor. 2, 12, 17; atque accedit ut pugnae ipsius adiuncta sit mentio. *ponitque* autem, quod libri exhibent, sane ad rem pertinere potest ac tale sententiae genus: *tibi nam-*

*que canit non pagina bellum triste Iovis ponitque [in
Olympo Pelion, hic non] Phlegra, Giganteo sparsa est
quae sanguine tellus.* — item Buechelerus disputat, sed
elegantiore utitur supplemento: *ponitque [acies quibus
32 horruit olim] Phlegra.* — v. 32 Itali emendaverunt. —
35 post reiecta epici carminis argumenta v. 35 *mollia sed
tenui pede currere carmina (pagina gaudet)* verba et
absoluta sensu et sermone perfecta (cf. v. 17, Cir. 20,
Hor. sat. 2, 1, 28; 1, 10, 1 *incomposito dixi pede currere
versus Lucili*) non mutabimus nec mirabimur in his
versu viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet, quae
revocant illud Vergilii *Syracosio dignata est ludere versu,*
cum accentu in fine versus positum *versu;* nam ludi
potest sine versu (ecl. 1, 10 *ludere quae vellem calamo
permisit agresti*) et in versu faciendo potissimum huius
poetae opificium positum est. simili modo nomen
addit Lucretius 1, 416 *quam tibi de quavis una re ver-
sibus omnis argumentorum sit copia missa per aures.*
constructio ita variata est, ut in priore membro pagina
gaudeat quod carmina currant, in altero ipsa ludere
37 gaudeat. — *hoc tibi* v. 37 quasi redit ad illud *tibi* v. 26,
quod verbo negativo exceptum erat; nunc subaudimus
hoc tibi (ludit) pagina vel volumen. hic igitur lusus puero
offertur, futura eius gravitate non dignus; sed quae in
puero non est materia laudis, in viro erit abunde: hoc
sibi vult *memorabilis gloria.* epitheton non vile et in
dicendis rebus tantum valens quantum in notis *incluta
gloria* (Aen. 2, 82), cf. Aen. 10, 792 *nec te, iuvenis
memorande, silebo* et quae ad Ciceronis de leg. 1, 8
Vahlenus adnotavit. verbum quod est *certet* confirmat
triplex coniunctivus *(certet — maneat — memoretur);*
significat idem quod v. 349 *maris unda sideribus certat
consurgere,* nisi quod ibi ut solet cum infinitivo con-
iunctum est. hic *et tibi gloria certet* i. e. tibi quoque

tui nominis gratia enitatur gloria et pugnet, superare
studeat aliorum gloriam. locutionem curiosius quae-
sitam exemplo comprobare nequeo (nam specie decipit
Stati versus silvarum 1, 2, 108 *cui gloria patrum et
generis certabat honos*), sed in hoc poeta neque quae
ab usu aliena ideo improbanda sunt et tam aperto
consilio triplex *et tibi* conectit factorum expectatam
magnitudinem, vitae post mortem beatitudinem, felici-
tatis apud bonos memoriam, ut non videam quid demi
addive possit. *et tibi* scilicet ut aliis quorum facta
canuntur, qui 'amoena piorum concilia Elysiumque
colunt' quorumque in ipso carmine merita recensentur
v. 358 sq. certat ipsa *gloria* ut v. 301 *sociat te gloria
sortis,* Aen. 4, 49 *Punica se quantis attollet gloria
rebus,* Lucr. 4, 1124 *aegrotat fama vacillans,* cf. Manil.
2, 812 sq.; Stat. silv. 4, 4, 76 *iam te — sibi gloria felix
educat* libri habent, sed recte Marklandus *curia.* gloria
quod dicitur *perpetuum lucens* et *mansura per aevum,* 38
climax inversus sermonem debilitat; coniunxit ille *lucens
mansura,* et ita quasi fortius aliquod participium futuri
ex verbo lucendi elicuit. alterum est *et tibi sede pia* 39. 40
(v. 375 *pia sede*) *maneat locus,* ubi quod *te* expectari
dixerunt, illud significat sedem in beatorum locis fir-
mam et constitutam; sic fere Vergilius *manent immota
tuorum fata tibi* et consimiliter Cicero Phil. 2, 11 *cuius
quidem tibi fatum sicut C. Curioni manet.* haec quo-
niam ad mortem pertinent, bono omine pergit, sospitis
felices per annos vitae memoriam futuram Octavio
augurans, vitae scilicet quae *grata bonis* luceat, non 41
gratae et bonis lucentis, quod ineptum est.

Perfecto prooemio ad ipsum carminis argumentum
poeta pergit v. 42. in initio autem narrationis aliquid 42
peccaverunt librarii, neque enim meridie pastor educit
capellas. at nihil aliud significare potest *aetherias iam*

sol penetrarat in arces. Ovidius trist. 5, 3, 19 *ipse quoque aetherias meritis invectus es arces, quo non exiguo facta labore viast.* plusquamperfectum ostendit viam iam factam esse; sed sequitur *tenebras Aurora fugarat;* ergo ipsa sunt viae Solis initia, ut Aen. 10, 256 *interea revoluta ruebat matura iam luce dies noctemque fugarat* vel georg. 3, 358 *invectus equis altum petit aethera.* iam fugatae sunt tenebrae, iam Sol lumina quatit ab aurato curru. recipienda igitur Helmstadiensis erat emendatio *penetrabat.* formam orationis illustret Stat. Ach. 1, 619 *scandebat roseo medii fastigia caeli Luna iugo —: consedere chori.* cf. Theb. 2, 527 sq. observamus hic et aliis locis (cf. 106) curiosam in depingendis coloribus diligentiam, qualiter Parcarum habitum Catullus describit 64, 308 sq. et cum alii tum
44 Ovidius multa; ergo *roseos* crines Aurorae tenebras fuganti tribuit, Ovidius *croceos* ut *croceum amictum*, cf. Lucr. 5, 976 *dum rosea face sol inferret lumina caelo*, Tib. 1, 3, 94, eleg. Maec. 1, 125; proprio vocabulo
47 *lurida* gramina qualia in summis montium iugis sole torrida conspiciuntur denotat, ut aestate *viridis nemori sanguis decedit et herbis* (Manil. 5, 212), v. 144 *viridi pallore* hederae corymbos aureolos pingunt (cf. 405). ac fortasse *viridans* (50) noluit idem esse quod viride; *viridantia gramina* in nimio aestu Stat. Theb. 5, 526.
45 cf. Buechelerus p. 326. — *pabula laeta* (v. 45) etiam Vergilius novit (georg. 3, 385), sed tritissima Lucretio est locutio.

In lepida descriptione capellarum varia diversis locis pabula quaerentium (cf. Colum. 7, 6, 1) corruptus post Bembum, cuius corruptionis in Vossiano similibusque libris initium factum videmus, et perversus
51 legitur v. 51 *scrupea desertas haerebant ad cava rupes.* scilicet aliae in silvis dumis vallibus, aliae etiam latius

dispersae gramina et frutices carpebant, quarum nonnullas *pendere procul de rupe videbat* (Verg. ecl. 1, 76) sive *haerere,* ut Senecae Hippolytum *in nivosi collis haerentem iugis sequi* Phaedrae placet (v. 233), ut eadem verborum structura Oedipus *haerebo ad ignes,* quod item temptavit interpolator (Phoen. 112). haerebant igitur *ad scrupea cava, desertas rupes;* audacius etiam loquitur quam Vergilius ecl. 2, 3 *inter densas, umbrosa cacumina, fagos,* 9, 9 *veteres, iam fracta cacumina, fagos,* cuius audaciam leviter inflexam videmus a Quintiliano (8, 6, 46) et deinceps in codicibus. sic Propertius 4, 1, 12 *pellitos habuit, rustica corda, patres,* sic infra v. 134 *quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,* sequitur enim *illas* v. 136. isti partem apponunt toti, illic v. 51 accedit totum parti, ratio locutionis eadem. consimiliter Dirarum poeta posuit v. 10 *nec fecunda senis nostri, felicia rura, semina parturiunt segetes* et qui illis facem praetulit Catullus 64, 184 *praeterea nullo litus, sola insula, tecto.* cf. Buechelerus p. 326, qui addit Lucani 3, 295 *usque Paraetonias Eoa ad litora Syrtes.* verba collocavit quo artificio in simili locutione Vergilius ecl. 5, 71 *vina novum fundam calathis Ariusia nectar.* — v. 55 ab Italis emendatus. 55

Clauditur locus bello versiculo (57) quem ne ei 57
quidem intellegebant qui intactum reliquerunt; nempe rivum *praestantis imaginis* undamve dici non posse apparet, etiamsi Propertius *formosas undas* dixerit (v. i., Meinekius ad Callim. p. 264): inde turbae post Scaligerum. quid poeta sibi voluerit videbit si quis capellam iam iam bibentem ac rivo imminentem aspiciet; disci potest ex picturis Pompeianis quae regiones montanas cum gregibus suis ostendunt, quales sunt iudicium Paridis (Helbigi catal. 1283^{b} tab. XVI) et Actaeonis supplicium (252 tab. VIII); utrubique capellae

rivis imminent potaturae, tamquam pulcritudinem suam in aquarum speculo admirantes. apud poetas a quibus rem non alienam fuisse conicias, apud rerum pastoralium et imaginum enarratores quaerenti nihil obviam factum est, sed in talia incidas potius quam quaerendo pervenias. unum indicavit Ellisius, qui aliis rectius de hoc versu iudicavit in ephem. philol. Americanorum 3, 273, Sophoclis frg. 593 de equa vidente in rivo et maerente comae iacturam. capellae igitur, ut Senecae verbis utar, fons perlucidus imaginem reddit, blandus sui amor dulcem aspectum formae facit (nat. quaest. 1, 17, 6); sic Hylas Properti *formosis incumbens nescius undis errorem blandis tardat imaginibus* (1, 20. 42), Narcissus Ovidi *dum bibit, visae corripitur imagine formae* (met. 3, 416); pastor Calpurnianus (2, 88): *fontibus in liquidis quotiens me conspicor ipse admiror totiens*, Vergilianus (ecl. 2, 25): *non sum adeo informis: nuper me in litore vidi, cum placidum ventis staret mare.* quibus omnibus (ut Ovidio met. 13, 839) praelusisse Theocritum notum est (6, 35): ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα, καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια (hirquina scilicet barba, cf. 3, 8 σιμὸς καὶ προγένειος i. e. facie hirquina; Verg. ecl. 8, 34), καλὰ δέ μευ ἁ μία κώρα. sumptum hoc ex ipsa pastorum et piscatorum vita, ut ex pecudum illud quod tractamus. item Buechelerus p. 326.

Iam quasi trahitur poeta ad praedicandam vitae agrestis beatitudinem. cuius loci colores poetam quaesivisse ex georgicorum secundo (458—474) neminem fugit, quamquam etiam Lucreti (2, 23—36) eum me-
58 sq. morem fuisse perspicuum est. atque ipsum initium ad Vergili exemplum conformavit sic incipientis: *o fortunatos nimium, sua si bona norint, agricolas,* non exclamativa tantum orationis specie servata, sed inter-

iecta condicionali sententia; cuius ipsius sensum viri
docti aut secus interpretati sunt (cf. Naekius Val. Cat. 296)
aut Vossiani interpolatione *(spretis)* vel excerptorum
(pravis) aliorumve commentis violaverunt. hoc dicit:
pastorum bona agnoscet quicumque non propter doc-
trinam, quam adeptus sit antequam vitam agrestem
cognoverit, eam contemnat et illo pretio, doctrina sci-
licet, quae ab agricolarum cultu abhorreat, uno igitur
vero divitiarum pretio omnia quae cum illis coniuncta
sunt, *τὰ πάντα τῆς τρυφῆς,* etiam mala curasque,
probet. *prius* positum ut *ante* Verg. ecl. 9, 15, Tib. 1,
1, 14, Prop. 4, 2, 46, Ovid. art. 1, 277, her. 20, 7 (19, 5),
interea, *tamen* et alia alias. — curae lacerant avidas 61
mentes: *non opibus mentes hominum curaeque levantur*
Lygdamus (3, 21); mens in pectore sita est, pectus
inimicum (*placidum* 97) vindicat Vergilius (Aen. 10, 555;
11, 685). etiam quod sequitur enuntiatum ad Vergili 62
exemplum comparatum esse (*si non — at* 461 sq.)
monuit Heynius, sed etiam Lucretius l. s. 24 *si non
aurea sunt* e. q. s.; item Vergilius *alba neque Assyrio
fucatur lana veneno,* hic *si non Assyrio fuerint bis
lauta colore,* nam *fulgent* Schraderus magis ad suam
quam ad huius poeta elegantiam verbo substantivo
substituit; cf. Buechelerus p. 326 sq., qui sequentis
verbi tempus huic accommodandum et *anget* non 64
angit scribendum esse dixit, ut v. 67 libri praebent
referent non *referunt,* accedente per totum hunc locum
excerptorum testimonio. audacter *Attalicis opibus data* 63
vellera i. e. *ἀποδοθέντα,* venum data, qua de re plura
dicam ad v. 244. item notabile v. 64 *sub laqueare* 64
(Lucretius et Varro Atacinus, sed et Ovidius *de mare*),
ut v. 53 *labrusca* (quod *Vergilio in Culice* tribuit 53
Nonius 211), 68 *conchea baca* vocabula genere formave 68
aliis ignota. v. 65 *lapidum nec fulgor in ulla cognitus* 65. 66

utilitate manet verbum non facilem habet explicatum. apparet enim, *nec* particulae vim copulativam ad nomen (*fulgor*), negativam ad adiectivum (*ulla*) pertinere, ut intellegamus *et lapidum fulgor in nulla utilitate cognitus.* id recte exposuit Silligius et assensus est Hauptius (opusc. 3, 68). sic v. 275 *nec faciles sedes* (ubi vide), v. 140 ab Heinsio restitutum ex frequenti poetarum more *nec laeta cupressus.* sed Hauptius quod coniecit *manum nec pocula Graiam Alconis referunt,* id et mutationis audacia refutat et metrica quaedam scabrities, quae scilicet huic poetae visa est, ut qui post tertium trochaeum sententiae interstitium non admiserit, hac quoque in re ab arte Catulli (qui in carmine 64 septiens octiensve admisit) Lucreti (qui tales versus non vitavit *obvia conflixere, fit ut diversa repente. subruitur natura, dolor quam consequitur rem*) Vergili (qui artificium illud quaerit in eclogis, non habet tantum in georgicorum tertio, Aeneidis tertio quarto sexto) alienus et Ovidio propior (cf. Muellerus de re metr. 186 sq.). prorsus illud genus vitavit primus Manilius (nam alia rei causa est in Lygdamo, cf. Guilelmus Meyer in rel. ac. Bav. 1884 p. 1016), qui quod quater *Capricorne* incisioni versus praeposuit (cf. Cul. 237), legis severitatem consulto illustravit; at non distinxit velut 1, 760. rem tetigi quod etiam de aliis versibus hac observatione utendum erit et aliquid consecuti esse videmur cum *manet* illud ab altera versus parte certa ratione prohibuerimus. iam ipsum *manet* quod Hauptius dicit sensu carere et si cum Schradero scribatur *movet* negationem desiderari, facile concedimus Buechelero, haec verba *nec lapidum fulgor cognitus manet* probum sensum praebere; sic ille p. 327 'quod praecedit verbum v. 66 *nec* fulgor *manet,* etsi temporis est praesentis, vi tamen ac natura sua vicem gerit futuri,

dicitur enim hoc 'et fulgor lapidum nulla utilitate cognitus erit', sed quo intentior fiat et obstinatior negatio, 'incognitus manet.' v. s. ad v. 38. sed hoc si accipimus, ita loquitur tamquam aliis hominibus ulla utilitate cogniti sint lapides pretiosi (ut *gratum* eis est Alconis toreuma), cum hoc dicere poeta velit, nullam omnino eos utilitatem habere, sed luxuriae supellectilem esse inutilem. idem de Schraderi coniectura valet et similibus. cf. Lucr. 5, 1273 *tum fuit in pretio magis aes, aurumque iacebat propter inutilitatem.* restat ut cum Silligio dicamus verbum non ab ipsa coniunctione condicionali, sed 'a *si non* pendere, cuius negationis vis in illud transeat'. quo tamen ea obscuritas sermonis oritur quam homini latino imputare verear. ergo et assensionem cohibeo et iudicium, tantum dico verbo post illud *anget* nullo opus esse et dilucida omnia si scribas *lapidum nec fulgor in ulla cognitus utilitate homini.* talis igitur emendandi ratio si non verior, ad veritatis similitudinem mihi videtur esse propensior. —
pergit *nec pocula gratum Alconis referent Boethique* 66. 67
toreuma, ubi *gratum* idem sibi vult quod e contrario v. 76 *illi sunt gratae rorantes lacte capellae.* Boethi nomini, quod iure mirabilis videretur synizesis et cum Alcone non apte componi illum arbitraretur, Rhoecum substituit Lachmannus ad Lucr. 2, 1061. sed iure Buechelerus negat intellegi qui nomen celeberrimi caelatoris venire in codices potuerit nisi inlatum a poeta; ut in contrahendis vocabulis non minus singulare hoc exemplum admiserit quam in distrahendis illud trisyllabum in quinto versus pede *Orpheus* (v. 117. 269) sive licere idem sibi putaverit quod Varroni Atacino in Phaethontis vocabulo (*deiectum fulmine, Phaethon,* cf. Quint. 1, 5, 18; *Phaethontem* trisyllabum Manilius 1, 736; cf. Lachmannus ad Lucr. 2, 693).

atque etiam de Alcone rectius mihi videtur quam com-
mentatores Ovidi Brunnius iudicasse hist. artif. 2, 402 sq.
69.70 — Vergilio agricola est *dives opum variarum,* hic
curiosius purpurae opponit tenerum gramen (69),
picturis lapidibusque tellurem floribus pictam (70);
74.75 deinde *lucens Tmolia coma cum viridi palmite* (cf. bucol.
4, 19) quae cubantem *pampineo amictu* velat facile in-
telleguntur contorta verba. cf. Buechelerus p. 327.
subter additum est verbo pertinenti ad vitem, repentem
78 scilicet per humum et leviter adsurgentem. — v. 78
apparet *semper* non ad *opaca* sed ad *manantia* ad-
plicandum esse (sic Silligius), cf. Lucr. 5, 261 *umore
novo mare flumina fontes semper abundare et latices
manare perennes;* magis cuipiam quaerendum videatur,
79 sequenti versu *magis* cum *optato* an cum comparativo
iungendum sit; sed non dixerunt Heynius Silligius
Burmannus (ad Prop. 2, 7, 93 i. e. 9. 43 ubi *magis est
acceptius* in libris quibusdam interpolatis), qui contra
Scaligerum et Taubmannum obtinebant, quod esset
magis optatum aevum, cum *optatum aevum* manifesto
significet aureum. atque ineptum sit dicere: quod
aevum magis optatum, qui homines beatiores esse
possint? cum non aevum laudetur, sed condicio, inter
aevi libidines beata paupertas. ergo quaerit quis vel
ex aureo genere istis hominibus *magis beatior* haben-
dus sit. atque memorabile est, hunc poetam con-
structione uti quae a latinitate quidem nullo tempore
aliena fuerit, sed a poetis cultoque sermone post
Terentium, loqui igitur ut belli Africani scriptorem
(ad cuius locum c. 48, 3 *magis suspensiore animo* vide
quae Woelfflinus et Miodonskius adnotaverunt) vel
Vitruvium vel Valerium Maximum. nam Ovidi versus
fast. 1, 526 *num minus hic toto est altior orbe cinis*
componi cum illis non debebat, cum hoc dicat: num

minus factum est ut toto orbe hic cinis altior sit?
item verborum collocatio effecit ut v. 80 non recte 80
intellectum sit *mente procul pura,* ubi *mente pura*
(cf. Lucr. 5, 18. 43; nempe Epicurus *veridicis purgavit*
pectora dictis; v. i. 89) *sensuque probando* (probando
scilicet quod recta simplicia vera sponte eligat, de
sensu cf. Caesaris verba apud Ciceronem ad Att. 9,
16, 3 *tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est*
benevolentia) arte cohaerent, *procul* interpositum significat procul positum, ut divitias ne agnoscere quidem
potuerit, bene latens bene vixerit (cf. Buechelerus
p. 326): sic scilicet duo vocabula in vicem se tutantur.
fit autem rusticis (81 sq.) quod ad optatum aevum 81
Tibullus refert: *tum mihi vita foret, vulgo nec tristia*
nossem (cf. *agnovit opes*) *arma* e. q. s., cf. georg.
2, 539. deinde exuviarum et divitiarum amor ut 83.84
discerneretur (cf. Tib. 1, 1, 49 et 54), necessaria erat
Bembi emendatio *vel.* cf. Aen. 11, 778 *sive ut templis praefigeret arma Troia, captivo sive ut se ferret*
in auro. ad ista *(dum) evectus finem transcendat*
habendi cf. v. 341. ibi ut Lucreti memorem poetam
fuisse videbimus, ita hic aperte respicit eiusdem 5, 1430
ergo hominum genus in cassum frustraque laborat
semper et in curis consumit inanibus aevom, ni mirum,
quia non cognovit quae sit habendi finis et omnino quo
ad crescat vera voluptas, cf. 3, 59 *avarities et honorum*
caeca cupido, quae miseros homines cogunt transcendere
fines iuris et — niti — ad summas emergere opes.
v. 88 *herbis* leve mendum Itali sanaverunt, *variantibus* 87.88
vim medii generis habet ut saepe fit in hoc verbo,
cf. 163 *volvens* 195 *volventia membra*, 204 *duplicantibus*
umbris. Panchaia tura ut positum est significat 'quasi
Panchaia tura', *ἀντὶ μύρων,* ne tamen expectes *fragrantibus* (cf. R. Ungerus in ephem. philol. Londin. 16, 315),

accedit ad herbarum odoratarum virtutem etiam florum
varietas; cf. 404 *herbaque turis opes priscis imitata
Sabinis.* alia explicatione eadem verba Buechelerus
vindicat: 'flores variant tura, id est spargunt odores
cum similes turis tum plures etiam magisque varios.'
89 — v. 89 *pura voluptas* cf. Lucr. 4, 1075. 1081. —
90 v. 90 *simplicibus curis* cf. v. 379 *tolerabilibus curis.*
Manil. 4, 511 *mollia per placidas delectant otia curas*
92 Gratt. cyn. 475 *tenues curas.* id igitur curat, ut otio
fruatur, victu scilicet quolibet contentus. quaesita et
aspera verborum compositio: *quolibet ut requie victu
contentus abundet* i. e. *quolibet victu contentus ut requie
abundet.* asperam dico, nam nobiles poetae quaecumque similia ausi sunt, simul scabrities sermonis quibus modis evitari posset ostenderunt; est autem illud traiectonis genus id quo nomen ad partem orationis aliquam trahi grammatica positione videatur sensu non patiente. pauca excerpam ex magno numero exemplorum, Lucreti 4, 1172 *cui Veneris membris vis omnibus exoriatur* (5, 750. 954) Vergili Aen. 10, 403 *caedit semianimis Rutulorum calcibus arva,* Horati epod. 5, 69 *indormit unctis omnium cubilibus oblivione paelicum,* Properti 2, 26, 7 *quam timui ne forte tuum mare nomen haberet* (cf. Boldtius de colloc. verb. 99); eodem pertinent verborum collocationes quas iam tractavimus v. 57. 78. 79. 80, alias offendemus,
similior illi in v. 92 nulla invenietur quam quae ab
205 eodem poeta admissa est v. 205 *et in fessos requiem
dare comparat artus,* nullum audacius exemplum quam quod ausus est poeta item ignobilis Copae v. 4 *ad cubitum raucos excutiens calamos;* nihil enim ineptius cogitari potest quam Syrisca ad cubitum calamos excutiens, siquidem pugnantes *excusso iaculum torquere lacerto* (Ovid. ex Pont. 2, 9, 57, heroid. 4, 43), bracchia

excutere scimus saltantes, et ad tibias quidem vel fistulam (Cop. 10), ut nanus *iactabat truncas ad cava buxa manus* (Prop. 4, 8, 42); ille igitur ne verba sic ponere deberet collocatione abhorrente ab illorum hominum sensu poetico: *ad calamos raucos excutiens cubitum,* postulavit a lectoribus ut, cum illud scriberet, hoc intellegerent. atque apparet nullum durius esse illo genere compositionis propter procliticam praepositionis naturam; quod genus tractavit Boldtius l. s. 44 sq., cf. Lucr. 6, 863 *multaque sunt ignis prope semina corpus aquai,* Prop. 3, 4, 18 *et subter captos arma sedere duces,* Ovid. am. 1, 6, 68 *dura super tota limina nocte iace;* quibusdam Philodemi et Anytae versibus simile artificium vindicaverunt Diltheius ind. Gotting. 1878 p. 12 et Kaibelius ind. Gryphisw. 1885 p. 23. neque tamen cultissimae poesis unice propria est illa transgressio aut invenitur tantum artificii causa; et Cicero scripsit ad Att. 10, 8, 8 *quos contra me senatus, ne quid res publica detrimenti acciperet, armavit* et Plautus Stichi v. 453 *ite hac secundum vos me*, quod mutant homines docti inde ab Italis, a quibus cavendum est ne nos decipi patiamur, cum praesertim admissum illud sit in praepositione non vera. — v. 92 Buechelerus p. 327 *requiem* defendit, quo servato compositionis audacia minuitur, structurae augetur.

Clauditur locus invocatione, quae comparanda est 94
cum georg. 2, 486 sq.; atque quod *frigida tempe* legit ibidem v. 469, sane sic monitus *gratissima tempe* adiecit. iam quasi recepta lectio est ex coniectura Heinsii *gratissima tempe frondis Hamadryadum,* in qua audacius etiam quam adiectivum cum genetivo componitur frons dicitur quasi arborum sed puellarum agresti victu laetantium; audacius videlicet quam pro fide coniectoris. libri autem habent *fontis,* quod defendit Buechelerus

p. 327. me offendit post tot amoenitatum rusticarum enumerationem in exclamatione elata una aliqua res quae praesertim iam tractata sit v. 77 sq.; satis est *gratissima tempe* dici quae incolant post pecudes et Panes nominatae Hamadryades, cum quibus pastorum vita coniungitur. conieci *gratissima tempe, hortus Hamadryadum.* hortus nympharum, *παρθένων κῆπος ἀκήρατος* (Ibyc. frg. 1), ut Hesperidarum notissimus, ut Iovis Iunonis Veneris Dianae Herculis Pudoris horti et quos poetae alios ad notorum exempla fingebant. cf. Col. 10, 263 sq. de nominativo casu vide ad v. 269. eandem
96 igitur quam nymphae eisdem in locis pastores vitam gerunt, Ascraeum vatem unusquisque imitantes; sententiam restituit Helmstadiensis (*poeta* etiam excerpta Parisina); vide interpolatorem Vossianum: *aemulus Ascraeo pastori quisque poeta.* sed iterum dubites in intricata verborum compositione, *sibi* utrum ad verbum quod est *traducit* (74 *pollentem sibi*) an ad adiectivum quod est *aemulus* pertinere poeta voluerit. atque quamvis audacter sic duo dativi coniungantur, hoc potius dicere videtur, sibi quemque aemulari Hesiodum, i. e. etiam destitutos ingenio poetico pastores ceteram pastoralis poetae felicitatem suo quoque modo consectari. cf. Lucr. 5, 960 *ferebat sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.* non sine consilio igitur statim pastorem ostendit carmen *non arte canora* modulantem.

98 V. 98 pergit in narratione a qua v. 58 degressus erat. *apricas curas* pastor agit in aprico scilicet positus, nota loquendi figura poetis, sed in hoc vocabulo nova. Persi *aprici senes* (5, 179) huc faciunt. cf. Ciceronis de sen. 57 *ubi enim potest illa aetas* (cf. v. 186. 388) *aut calescere vel apricatione melius vel igni aut vicissim*
99 *umbris aquisve refrigerari salubrius?* v. 99 quod in his verbis *non arte canora* particulam *non* non com-

mode positam dicit Naekius p. 297, certe non aliter
posuit Vergilius *non passibus aequis,* Catullus *haud in
tempore longo,* etiam Gellius *non homini indocto* (18,
9, 4). sed *solidum carmen* interpretando operam lu- 100
serunt viri docti. — v. 101 contra analogiam for- 101
mavit *inevectus,* quod cum significare debuerit non
evectum, significare voluit evectum in locum, scilicet
in *mundum aetherium,* cuius generis composita novare
facilius Graecis praepositionum usus permittebat:
*λεκανίῳ γὰρ ἐναπονίψεις ἐνεξεμεῖς ἐνεκπλυνεῖς ἐνα-
ποπατήσεις* Polyzelus apud Pollucem 10, 76. apertius
etiam quid voluerit poeta non semel usurpare solitus
semel usui adaptata ostendit v. 341 *iret inevectus caelum
super.* sane Vergili Sol *invectus equis altum petit aethera*
(georg. 3, 358). quod diei tempus indicare velit sequentia
ostendunt: *lucidaque aetherio ponit discrimina mundo* 102
qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces, ea sci-
licet caeli regione iam iter facit, qua Oceanum et At-
lanticum et Eoum inlustrare possit, i. e. in summo caelo
ponit discrimina, cf. Aen. 11, 143 *lucet via longo ordine
flammarum et late discriminat agros,* Lucr. 5, 690
aequato caelum discrimine metans. aestivi diei quartam
fere horam significat, qua officium suum facit pastor
et gregem ad rivum agit (*repetebant* v. 105 quoniam 105
redeundum erat infra montis iugum), secundum Vergili
georg. 3, 327 sq. (cf. Varronis rer. rust. 2, 2, 10 sq., Col.
7, 3, 23 sq.). deinde (v. 107 *iam medias operum partes* 107
evectus erat sol) statim post meridiem (*aestibus mediis*
Vergilius v. 331) in silvam capellas cogit. contrahit
duo officia Calpurnius 5, 56—59 (56 cf. Verg. v. 328).

In versu 109 *ut procul aspexit luco residere virenti,* 109 sq.
Delia diva, tuo quis criticorum non fecit ingenii vestigia?
sed nullus apex mutari debet. quam expectamus apo-
dosin, eam non reddidit poeta, quaesito scilicet artificio

quasi abripi se passus describenda silvae amoenitate, cum Agauae bacchantis horrendae imagini nympharum cum satyris saltantium Diana inspectante gratum spectaculum opponens (— 122) domicilium dearum depingere instituit et post explicata arborum genera (— 145) ad ipsum quem indicaturus erat pastoris locum revertens aves, fontem rivumque, ranas et cicadas adiungit ibique capellas leni vento recreatas accubare ostendit. apodosin si quaeris, extat v. 157: *pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra, mitem concepit proiectus membra soporem,* nimirum ipsam prodosis formam grammaticam repetit, addito tamen fonte ex descriptione loci (148), et iam rem ipsam narrat, pastorem somno se dedisse (cf. 69. 93), quod quasi coactum eum fecisse loci natura iam intellegimus. (item fere Buechelerus p. 328, cuius ipsa verba quaeso inspicias, et ante nos Ellisius l. s. p. 274.) similis artis et audaciae exempla, ne longius evagemur, Vergilius praebet georg. 4, 251—266 et inprimis v. 67 sq. ubi Philargyrius ordinem quidem non recte demonstravit, sed orationem parenthesi turbatam esse recte docuit.
109 pastor igitur postquam gregem in umbra residere vidit (cum adverbio *procul* Georgius Thilo contulit Serv. ad Aen. 6, 10 et ecl. 6, 16 *serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,* cf. v. 154 *circa*), ipse requiescit; monemur Horati epod. 2, 11 *aut in reducta valle mugientium prospectat errantis greges* et Vergili ecl. 1, 75 *non ego vos posthac viridi proiectus in antro dumosa pendere procul de rupe videbo,* quos locos hic posui quo tenacius verbum *aspexit* teneretur. nam quod non frequenter cum accusativo et infinitivo coniungitur, poetam saepe deprehendimus a cultiore temporis sermone deflectentem. atque quae constructionis exempla afferre possum, aut ad vetustam poesin

pertinent, cf. Plaut. Cas. 228, atque in Mercatoris v. 220 *postea aspiciet te timidum esse atque exanimatum* iniuria vulgo oblitteratur verborum structura (alia Draegerus adfert 2 p. 381), aut ad scriptores quibus non placebat probatissimo novorum hominum sermone uti, vide Varronis Menippeorum frg. 457, Manili 2, 198 *aspice Taurum — surgere* et Aetnae v. 628 sq. *(aspiciunt pigrumque patrem matremque — defessos posuisse in limine membra)* ubi quin Scaliger infinitivum iure restituerit dubitari non posse videtur (cf. 426); georgicorum locus 4, 555 utrum huc pertineat an recte vulgo interpungant dubito.

Agauam bacchantem quod sane praeter necessi- 110
tatem producit et his quidem verbis: *quo quondam —*
venit, id adducere quempiam possit ut poema graecum
quod Culici exemplum praebuerit pastorem in ipso
Cithaerone collocavisse opinetur; sed in hoc poeta
nimis ambigua coniectura. certe et Agauam et nym-
phas (122) in umbra dormire vult, ut pastoris somno
praeludatur; exemplis utitur qualibus Propertius (1, 3, 5)
Ovidius (am. 1, 14, 21 rem. 596) aliique, de quibus post
alios Kalkmannus de Hippol. Eurip. 88 sq. — versus 114 114
ut post Aldinam legitur sanatus videtur sane non leni
medela: in Bembino post *nati se* lituram esse Zange-
meisterus notavit. — de v. 117 vide ad v. 269; Orphei 117
nomen restitutum est in compluribus libris, cum in
Bembino primae manus scriptura erasa sit, in margine
ascripta vulgata *horridus.* — v. 118 miro zeugmate 118
Hebrum tenuit silvasque, meantem stantesque. *Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes* Vergilius (ecl. 3, 46), *umbra loco venit* Ovidius (metam. 10, 90), *σύναγεν δένδρεα μούσαις, σύναγεν θῆρας ἀγρώτας* Euripides (Bacch. 563), ipse praesertim infra v. 278 *iam rapidi steterant amnes et turba ferarum — regionem insederat*

— *iamque imam viridi radicem moverat alte quercus humo* ut Seneca Herc. 572 *quae silvas et aves saxaque traxerat ars, quae praebuerat fluminibus moras, ad cuius sonitum constiterant ferae,* quos locos ubi inspexeris, feras aptiores huic loco fuisse intellegas; nec certus sum poetae an librario silvas imputem. cf. Bauerus l. s. 365.
119 — v. 119 *quantum* Bembinus habet, *quam* Thuaneus Cantabrigiensis alii, *quam tum* Colbertinus et Vossianus, ergo in apographo aliquo sive in ipso archetypo *tum* omissum et superscriptum erat. *quam tum* autem nequaquam melius est, siquidem *egere* v. 116 frequentiam actionis indicat, non certam aliquam saltandi occasionem. *pernix* restituit Vossianus (*pernig* libri non interpolati), quod non cum *chorea* coniungendum est, licet Lucretius habeat 2, 635 *cum pueri circum puerum pernice chorea armati in numerum pulsarent aeribus aera* (cf. Silligius), sed cum *diva;* neque enim temere iuxta posuit *pernix remorantem.* illud *remorantem* compar accedit ad *restantem,* ambo participia effectum indicant, ambo uno verbo reguntur quod est *tenuit;* leviorem igitur sermonem quod fecerunt verbo finito *(remorantur)* substituto, contra poetae consilium fecerunt. *chorea* si quis subiectum esse dicat cum quo participium plurale coniunctum sit *fundentes,* non nimium ausus esse videatur poeta; cf. Tac. ann. 4, 29 *vulgi — parricidarum poenas minitantium.* sed potest *chorea* ablativus esse ut subintellegatur *tenuerunt* (nymphae *fundentes gaudia*). sic trahitur poeta ad umbrosam nympharum domum describendam. cui arborum cata-
123 sq. logo (123—145) quasi respondet florum in fine carminis, simplicior ille rebus et verbis. cf. Ovid. art. 3, 687 sq. fabellae tanguntur praeter quercus oracula (134) et pinum Argonautarum (137) loti (124) populi (127) amygdali (131) myrti (145), omnes secundum novellos

poetas, nisi quis impiam lotum ex uno Homero sumptam esse contendat, ubi sane non *socios Ithaci maerentis abegit* lotos, sed ut ait *τοὺς μὲν ἐγὼν ἐπὶ νῆας ἄγον κλαίοντας ἀνάγκῃ, νηυσὶ δ' ἐνὶ γλαφυρῇσιν ὑπὸ ζυγὰ δῆσα ἐρύσσας* (ι 98). atque ipsa prosopopoeia indicare videtur Lotidem (*Lotos nympha* Serv. georg. 2, 84) transformatam poetae notam fuisse; quae est historiola Priapea, id est novicia in poesi Graecorum. de Heliadibus Knaackius egit quaest. Phaeth. p. 45 et ad Apolloni imitationem istos versus rettulit, id quidem sine necessitate; de Phyllide Callimachi Rohdius libri de fabulis amatoriis graecis p. 129 et 473 et idem Knaackius analectorum Alexandrinorum Romanorum p. 29—43. Myrsinae denique vel Myrenae (145) fabellam aliquam novimus ex Servio ad Aen. 3, 23 et ex geoponicorum 11, 6, quem locum indicavit ante Scaligerum P. Bembus in dialogo de Culice (opusc. p. 97). cui fabulae si non ipsi fidem facit poeta antiquus, at fabulam fuisse myrti transformatae a poeta neoterico expositam testatur. totus autem locus manifesto ostendit cuius generis poetas auctores sibi ille sumpserit.

Singula ne omittamus, v. 127 *insigni* vindicet Ver- 127
gilius Aen. 7, 655 *post hos insignem palma per gramina currum victoresque ostentat equos,* 10, 353 *insignis Messapus equis,* quibus locis quod *insignis* habet quo determinetur, id in Solis curru non fuerit necessarium; sed incertus sum annon cum genetivo adiectivum hic poeta coniunxerit, ut non currum equorum dixerit, sed currum insignem equorum, ut Horatius notum illum in fratres
animi paterni. — v. 128 *ambustos* Heliadum artus, ut 128
illae, tamquam Creo Euripideus *προσείχεθ' ὥστε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης* (Med. 1213), fratris corpori adhaeserint, servare velle in reliquorum testium silentio ineptum esset; recte inde a saeculo XV. legitur *ambustus: ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ*

ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος Ἠελίοιο λίμνης ἐς
129 προχοὰς πολυβενθέος (Apoll. 4, 597). — v. 129 *im-*
131 sq. *plexae* Heinsii emendatio est. — sequitur locus difficilis de Phyllide, non sine mendo traditus, sed nequaquam ita corruptus ut ex infinita interpolationum serie conicias. atque orationis figuram Itali recuperaverunt, *perfide* prius restituentes (cf. Catull. 64, 132). participium corruptum est in libris *defende* neque verisimile est, si in Bembino versus non periisset, futurum fuisse ut incorruptum haberemus vocabulum. sed cetera sana sunt. *posterius* stabat *cui Demophoon aeterna reliquit perfidiam lamentandi mala.* hinc qui omnia pervellat atque discerpat facile efficiat *aeterna reliquit perfidia lamenta,* sed ea ipsa observatio de qua ad v. 66 locuti sumus coniecturam refutat, siquidem refutandum est quod tam multis arriserit. gerundii usus idem est de quo monuit Madvigius ad Cic. de fin. 3, 45 et alii: Cicero cum dicere potuisset *ipsum bonum crescere non potest* vel *accessionem nullam habet,* dixit *crescendi accessionem nullam habet;* scripsit ad Atticum 8, 14, 1 *neque novam denique iam reperiam scribendi ullam sententiam,* non *scribendi ullam materiam* vel *quam scribam ullam sententiam;* sic ille cum potuisset *aeterna reliquit mala* vel *aeterna excitavit lamenta,* dixit *aeterna reliquit lamentandi mala.* Phyllida autem satis amator indicat, vide quae damnatorum nomina taceat v. 240 sq., et ranarum quoque v. 151. iam quid sibi velint *aeterna* mala Hyginus docet fab. 59 *cui parentes cum sepulcrum constituissent, arbores ibi sunt natae, quae certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia arescunt et defluunt.* cf. Knaackius analectorum p. 40. ipsi igitur arbori maestitia manet Demophontis perfidiae. quodsi plurali numero sequitur *puellis,* apparet hoc non ad Phyllida esse trahendum (cf. Knaackius p. 42), sed de aliis

puellis dici, quae ipsae Demophonti perfidiam exprobrent, spectantes scilicet quotannis redeuntem arboris tristitiam. in re simili Ovid. met. 10, 725 *luctus monimenta manebunt semper, Adoni, mei*, Gratt. cyn. 66 *flet adhuc et porro flebit Adonin victa Venus*. quod *multae* fecerunt, id *et nunc* puellae faciunt; sic fere Lucanus 1, 202 *ubique tuus, liceat modo, nunc quoque miles*. sed non deflent Demophontem pro Phyllide, quod ex Scaligeri coniectura facerent (nam cetera commenta omnino rem non attingunt), sed devovent, proditori male dicunt. id ipsum igitur dicunt quod tum Phyllis dixerat: *νύμφιε Δημοφόων, ἄδικε ξένε*, *'perfide Demophoon' surdas clamabat ad undas* (Callim. frg. 505, Ovid. rem. am. 597), quod Ariadna in Theseum (Catull. 64, 132), cf. Prop. 4, 7, 13 *perfide nec cuiquam melior sperande puellae*. inde emendandum esse arbitror *perfide multis, perfide, Demophoon, et nunc dicende puellis*, ubi ad *multis* audimus *dicte* vel *qui dicendus eras* usu pervagato et nunc non explicatius tractando. *perfide* autem vocativus nota attractione ortus est. — v. 134 de figura dixi ad v. 51. aliena 134
contulit Taubmannus. — v. 137 sq. tres Heinsii emen- 137 sq.
datiunculae v. 137 *addita* (sic etiam Schraderus emend. p. 23 sq.), 138 *proceros*, 139 *ac petit* a plerisque receptae sunt, quarum nulla librorum lectioni praestat. *navi edita pinus* dictum est ut v. 171 *cui crista superne edita*. pinus quod *proceras silvas* decorat, etiam maiorem indicat proceritatem, quae statim disertis verbis depingitur. haec autem verba *appetit aeriis contingere motibus* (nam *montibus* quod in libris est correxit Scaliger, cf. 167 ubi *motibus* in Cantabrigiensi) *astra* non poterant ad priora illa nisi inconexa accedere, nisi quis *nimirum* sive *videlicet* addere malit. illud autem ad *decorat* quod accedit *hirsuta per artus*, indicat pinum

quamvis hirsutam silvas decorare, nimirum altitudine
sua. appetendi verbum cum infinitivo coniunctum
habes Stat. Theb. 1, 234 *immeritae gremium incestare*
140 *parentis appetit.* sed v. 140 necessaria est Heinsii emen-
141 datio *nec laeta cupressus.* v. 141 *manent* dubitationem
admittit, sed *monent* qui substituebant certum mendum
intulerunt sermoni; nam ineptum est et ilices et cu-
pressos et fagos et hederas monere quasi et impedire
populos ne fratris mortem nimis lugeant; id solae
hederae faciunt, *ligantes* scilicet populorum bracchia
142 ne plangantur ictibus propter fratrem (hoc sibi vult
fraternos plangat ne populus ictus). atque *manent*
quem significatum habeat docet descriptionis conexus;
quam ita instituit poeta, ut arborum collocatarum or-
dinem aliquem observaret; *primum surgebant* platani,
inter quas lotos, *posterius* amygdalus, *quam comita-
bantur* quercus, *hic* pinus, *manent* tristes arbores ilices
cupressi fagi hederae, denique *his aderat* myrtus. sub
finem igitur descriptionis quae *manent* arbores enume-
rantur, i. e. quae restant, relinquuntur. — *fagus* fortasse
eandem formam testatur legisse poetam Verg. georg.
143 2, 71 (cf. Wagnerus quaest. Vergil. p. 428). —143 *escen-
dunt* Heynius apte sane; sed *excedunt* quaesitius, cf.
Plin. h. n. 27, 3 *excedentia in nubes iuga* aptum verbum
summis cacuminibus. — in excerptis Parisinis versus
146—159 post 89—100 ita scripti extant ut versum 100
excipiat v. 154, eum 148. 149, sequantur 146. 147, deinde
150—153, tum 157, tum 155. 156, tum 159, denique 158,
omnes ita mutati et comparati, ut aliquo sententiarum
nexu contineantur. atque quae singula a codicibus
155 discrepantia habent, v. 155 sane *quos leniter* sine inter-
polationis suspicione emendat illorum corruptelam *quae
leviter; excelsis supra* ibidem emendationi quamvis
necessariae (cf. Schraderus emend. p. 19 sq.) non ad-

hibuerim, quoniam copulae omissionem excerptoris con-
silium flagitabat; *querulas* v. 151 sine necessitate vulgo 151
scribitur, cf. ad v. 131. versuum autem ordinem qualis in
excerptis deprehenditur non sequemur nisi ratione co-
gente, testimonii loco illum non habebimus. ordinavit
igitur Hauptius secundum excerpta versus 146—149, 146 sq.
qua ratione post arbores fons describitur, deinde aves
ranae echo cicadae, apto ordine, qui commendari vi-
deatur verbis *his suberat — unda,* arboribus scilicet.
sed poetae consilium in eo deprehendere mihi videor,
quod arboribus statim quasi accessio aves adhaerent,
deinde aqua memoratur (neque obscurum est quo
spectet *his* post *volucres patulis residentes ramis*), ad
quam ranae pertinent *nantia limo corpora* (item Bue-
chelerus p. 328), ut rursus strepitus somnum scilicet
invitantis (Hor. epod. 2, 28) mentione iniecta echo et
cicadae addantur. — v. 149 quomodo *orta* expediam 149
non habeo, probabilis est in Vossiano emendatio *acta;*
liquorum Hauptius emendavit, idem in Cantabrigiensi
scriptum primo, fortasse fortuito. *orta* et *liquorem*
cum libris etiam excerpta praebent. levibus igitur li-
quorum rivis acta unda placidum sonat. pluralis nu-
merus *rivis* hic nemini dubitationem movit, multis
idem in Tibulli versu 1, 1, 27 *sub umbra arboris ad*
rivos praetereuntis aquae. nimirum vocabulum ad
certae rei appellationem usu perductum plurali numero
positum primariam stirpis notionem reciperare potest,
ut faciunt *verbera, voces* et v. 182 quos fere non tole-
rant *spiritus.* v. 153 *ardore* ad adiectivum pertinet 153
impedita rursus collocatione; cicadae ardore argutae
sunt, quae solis aestu incitatae canere soleant. *cuncta*
cf. ad v. 168. — v. 156 *poscit* eleganter positum, sed 156
insolenter; solet sic postulandi verbo Plautus uti.

Iam ipsam fabellam narrare incipit, multis verbis 157 sq.

in re brevi pastorem dormientem et serpentem appro-
pinquantem exornans. atque in dormiente quod *so-
porem, somnum, quietem* distinxit v. 158 sq. (cf. 206 sq.)
fecit ut Lucretius 4, 453 *denique cum suavi devinxit
membra sopore somnus et in summa corpus iacet omne*
159 sq. *quiete;* sed verbis minus affabre usus est. — v. 159. 160
rursus compositione verborum impedimur; nam *securo
pressos somno* cum recte dicatur (cf. Sen. Phaed. 520
*certior somnus premit secura duro membra versantem
toro*), hoc cum verbo quod est *mandaverat* coniungi
non potest, quod et complementum sensus sibi flagitat
nec pro dativo assumere potest nomen ablativo casu
positum. id exposuit Silligius et continuo recepit *fessos*
pro pressis. sed iam satis poetam novimus ut ante
circumspiciamus ecquo consilio intricatum sermonem
instituerit; atque apparet quid voluerit: non *securo
pressos somno* sed *in herbis pressos artus* coniungi
voluit, quos *securo somno mandaverat* pastor, cf. 69
saepe super tenero prosternit gramine corpus. dixit
in herbis pressos quasi *herbis impressos* proprie nec
sine vigore sermonis, ut Ovidius fast. 1, 355 *dentes in*
162 *vite prementem.* — iam igitur in eo erat ut quiete sua
frui posset nisi incertas eum ducere sortes sive incertos
sortiri casus Fors Fortuna iussisset; nam hoc significat
ducendi verbum v. 162. *mors quae propter incertos
casus cottidie imminet* Cic. Tusc. 1, 91.

163 sq. Serpentis dormitanti pastori supervenientis imagi-
nem Vergili georgicorum versus 3, 414—439 praebere
poetae potuisse Birtius monuit (ad hist. hexam. lat.
symb. p. 42 sq.); idem Vergilium in eo discrepare dixit,
quod is anguem ex palude egredientem proponit,
Culicis poeta adventantem. Vergilius autem Nican-
drum secutus est (cf. Macrob. 5, 22, 10 de georg. 3,
391), qui sub initium Theriacorum canit facile serpentes

fugari posse (22 sq.) *ἢ ἀπ' ἐρίπνης ἠὲ καὶ αὐτοπόνοιο χαμευνάδος, ἦμος ἀν' ἀγροὺς φεύγων αὐαλέου θέρεος πυρόεσσαν ἀυτμὴν αἴθριος ἐν καλάμῃ στορέσας ἀκρέσπερος εὕδῃς* e. q. s. — *τῆμος ὅτ' ἀζαλέων φολίδων ἀπεδύσατο γῆρας μῶλυς ἐπιστείβων, ὅτε φωλεὸν εἴαρι φεύγων ὄμμασιν ἀμβλώσσει, μαράθου δέ ἑ νήχυτος ὀρπηξ βοσκηθεὶς ὠκύν τε καὶ αὐγήεντα τίθησιν,* quae qui cum Vergilio comparaverit et argumenti et singularum rerum similitudinem videbit et in imitando verum poetam agnoscet, simulque intelleget qua iniuria Peerlkampus aliique versus 437—439 propter repetitionem eorum, sed etiam versus 426, in Aeneide factam (2, 473 sq.) eiecerint. atque alius est Nicandri locus, quem illi adhibuit Vergilius, de chelydro, qui (415) *βρύα προλιπὼν καὶ ἕλος καὶ ὁμήθεα λίμνην ἀγρώσσων λειμῶσι μολουρίδας ἢ βατραχῖδας σπέρχεται ἐκ μύωπος ἀήθεα δέγμενος ὁρμήν* (cf. 366 sq.). hinc igitur anguis paludem relinquens (cf. Stat. Theb. 5, 518 sq.), magna a Culicis argumento discrepantia (quam non attendit qui Culicis argumentum composuit a Donato in Suetoni vitam receptum); etenim anguis quoque ut cetera animalia in nimio aestu certa diei hora quietem et frigus quaerit, sane non omittens naturae ferocitatem. hoc non a Vergili imitatore inventum esse elucet, sed a graeco ut puto poeta, cuius carmen Romanus expresserit idem imitator Vergili. cf. p. 17.

In ipsa serpentis adventantis descriptione v. 163 163
(*volvens κυλινδόμενος* ut 195 *volventia,* cf. ad v. 88)
et 165 Bembus emendavit, v. 166 frustra multi tempta- 166
verunt. certe *obvia vibranti carpens gravis aera lingua,* quae olim vulgata erat lectio, nescias utrum sensu ineptam magis an forma intolerabilem dicas; deinde quae facta est vulgata *gravis ore trilingui* cur inepta esset scriptura iam Birtius dixerat l. s.; et sanissima

sunt, si recte distinguas, tradita verba: *obvia vibranti carpens, gravis aere, lingua.* carpit *obvia,* ut v. 176 *obvia arripiens infringit.* serpens autem *gravis aere* dicitur eodem modo quo *graves nidore chelydros* Vergilius appellat georg. 3, 415. *cavendum ne (pulli) a serpentibus adflentur, quorum odor tam pestilens est ut interimat universos* Columella 8, 5, 18; *(basiliscus) necat frutices, non contactos modo verum et adflatos, exurit herbas, rumpit saxa* Plinius 8, 78 (deinde *necant odore*), *τὸ δ' ἀπὸ χροὸς ἐχθρὸν ἄηται* Nicandrus ther. 421 al., *velut illis Canidia adflasset, peior serpentibus Afris* Horatius, ut aliorum poetarum de serpentibus locos omittam, velut Ovidi met. 3, 49, Lucani 9, 679, Sili 6, 187, Stati Theb. 5, 527. sed res minime ignota; locutionis potius exempla quaeras, qua animalis spiritus aer vocetur. Graeci quidem sic loqui possunt: *τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν* Epicurus (p. 27, 7 Vs.), latinus homo aerem se emittere pro spiritu non facile dixerit, quamvis parva sit et poetae concessa metonymiae audacia, cf. Cicero de nat. deor. 2, 18 *ab aere eo quem spiritu ducimus,* Stat. Theb. 12, 712 *dirisque vaporibus aegrum aera — ducens.* sed homini Epicuream doctrinam edocto Lucretique lectori, qualem invenimus et inveniemus hunc poetam, ne locutionis quidem licentia videbatur aerem pro spiritu ponere. Lucr. 4, 937 *interiorem etiam partem spirantibus aer verberat hic idem, cum ducitur atque reflatur,* 3, 121 *cum corpora pauca caloris diffugere forasque per os est editus aer.* multo audacius locutus est Silius item in serpentis pugna 6, 275 *iam patulis vasto sub vulnere faucibus aer tabificam expirat saniem, scelera ultima, iamque ingenti cauda et iaculis et pondere conti haeret humi, lassoque tamen minitatur hiatu,* quem locum totum exscripsi ut sermonis formam restituerem (*scelera* exempli causa posui

pro eo quod traditum est *specus*) et insigne exemplum impeditae compositionis proponerem, intellegi scilicet voluit: *iamque cauda et iaculis et ingenti pondere conti haeret humi.* Stati silv. 2, 2, 77 *malignum aera respirat* non serpens sed *pelago circumflua Nesis.*

Sequitur versus item vexatissimus 168; qui quae 168
sana habet ubi intellexerimus, leve mendum leni remedio facile sanabimus. *tollebant aurae venientis ad omnia visus.* si verborum formas sequimur, aurae tollebant visus serpentis qui veniebat ad omnia. primum ut *venientis ad omnia* consideremus, de hoc adiectivi usu Scaliger nonnulla attulit ad v. 182 *cuncta paranti* quod positum est ut v. 153 *cuncta fremunt,* ut Graeci dicunt *πάντα ποιεῖν,* Latini *omnia facere* (e. g. Catull. 75, 4), *laeta omnia; in eius scientia et consilio omnia sibi proclivia omnes fore sperabant* (bell. Afr. 10, 4), *Venus quia venit ad omnia* (Cic. de nat. deor. 3, 62 cf. 2, 69) frequenti usu quo neutrum plurale comprehendit omnia scilicet quae in re sint, ad rem pertineant. sic Plautus loquitur fere non intellectus (rectius quam ceteri Spengelius de canticis p. 89) Rud. 215 *algor error pavor, me omnia tenent.* Varro Menipp. 475 *hic enim omnia erat, idem sacerdos praetor parochos* e. q. s.; excoluit usum ex poetis Catullus, cuius instar multorum locus sit 64, 186 *omnia muta, omnia sunt deserta, ostentant omnia letum* (cf. Cul. 348) et Vergilius: Aen. 9, 294 *sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis,* 10, 358, *stant obnixa omnia contra,* 514 *in ipsis omnia sunt oculis* et apud verba motum indicantia cum praepositione 6, 565 *perque omnia duxit,* 7, 309 *quae memet in omnia verti* et interpolator vetus 2, 570 *oculos per cuncta ferenti* (cf. Stat. silv. 1, 3, 52 *visusque per omnia duco*). alia ut ecl. 8, 58 *(omnia iam medium fiat mare)* et similia ad eum

potius usum pertinent quem tractavit Naekius Val. Cat. p. 182 sq.; alium Woelfflinus arch. 2, 95 sq. cf. Sen. contr. 7, 1, 27. ad illa Vergiliana proxime accedit Ciris v. 478 *fertur et incertis iactatur ad omnia ventis*, Lucanus 3, 390 *flagrantis in omnia belli*, 2, 656 *Caesar in omnia praeceps*. hoc igitur sibi sumpsit Culicis auctor, et tam cupide quidem, ut non plura Vergilius exempla praebeat, tam obscura ratione subinde, ut pleraque coniecturis temptata videamus. atque vidimus *omnia luxuriae* (59), *cuncta fremunt* (153), *cuncta paranti* (182), accedit v. 348 *omnia ventis, omnia turbinibus sunt anxia* et magis intricata haec: 233 *quem circa tristes densentur in omnia poenae*, 242 *gutturis arenti revolutus in omnia sensu*. non ita explicari posse videtur v. 217, ubi vide; sed eiusdem generis esse apparet quod tractamus *venientis ad omnia*, paratus scilicet venit ad omnia scelera serpens, ut *cuncta parat* v. 182, ea de causa oculos tollit, vel potius eius *visus tollebant* si non *aurae* (nam eas quomodocumque explicare coneris inepta sunt, sive ventos intellegas serpentis collum levare et erigere sive auras folia moventes attentum fecisse serpentis animum sumas), at talis certe res qualis efficere soleat ut ad omnia facinora ferae se parent, famem dicas, cupidinem, crudelitatem vel, quod ad angues potissimum pertinet: *tollebant irae venientis ad omnia visus*. notum est anguibus vulgo ascribi iracundiam. lepide Cicero in Vatinium 4 *venisti iratus omnibus, quod ego simulac te aspexi — sensi atque providi. repente enim te tamquam serpens e latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti*. sic Nicandrus ther. 181 *ἐπὶ ζαμενὲς κοτέουσα*, cf. 469 sq. Vergilius Aen. 2, 379 *improvisum aspris veluti qui sentibus anguem pressit humi nitens trepidusque repente refugit attolentem iras et caerula colla tumentem*, cf. Sil. 6, 253

furit ilicet ira, Ovidius met. 3, 72 *postquam solitas accessit ad iras causa recens.* ira in oculis apparet: Lucr. 3, 288 *in ira cum fervescit et ex oculis micat acribus ardor,* tollit oculos, ut *arrectae irae* (Aen. 11, 452), *tum vero adsurgunt irae* (12, 494), *fractas ubi Vesvius erigit iras* (Stat. silv. 4, 4, 79) et quae similes inde venerunt locutiones. *δράκων* autem quam recte oculis utatur saepe audimus: *in amicorum vitiis tam cernis acutum quam aut aquila aut serpens Epidaurius* Horatius, *asper, acerba tuens, immani corpore serpens* Lucretius.

Qui sequitur locus item subobscurus omnibus 169 sq.
mendum habere visus est versu 170, ubi *et se* inde ab Aldina editione corrigi solet in *et fert, effert, exit* vel similiter, non recte si quid video. atque haec si per se spectas *attollit nitidis pectus fulgoribus et se sublimi cervice caput,* non habent quod vituperes: significare possint *pectus et caput se attollit,* constructione multis ignota, de qua exemplo Plauti utar Curc. 696 *obsecro, Planesium, et te, Phaedrome.* sed poetam participium quod est *volvens* v. 169 cum verbo quod est *metabat* v. 174 coniunxisse et quae intercedunt parenthesi ab illis segregari voluisse parum probabile est. accedit ut non recte procedant quae secuntur: *caput, cui crista superne edita purpureo lucens maculatur amictu.* nam cristam in capite eminentem non maculis tantum sed purpureo amictu praeditam esse nimium est, hoc ad caput ipsum pertinet, *purpureo amictu lucens* ut *pectus nitidis fulgoribus* (170), *maculatum* ut corpus v. 164, ut *basiliscum Cyrenaica generat provincia candida in capite macula ut quodam diademate insignem* (Plin. 8, 78). potest autem ipsa crista capitis amictus vocari, quam legimus *cingere tempora* v. 197. cf. *auratae crudelis gloria frontis prominet* Stat. Theb. 5, 510. id com-

probat versus qui sequitur item ad caput pertinens cum oculis: *aspectuque micàt flammarum lumine torvo,* quo in versu nihil est quod reprehendas, si *torvo* cum *aspectu* coniungas ex consilio poetae compositionis ut scimus artificia quaerentis et aspectum appellantis torvum *flammarum lumine* (georg. 3, 433 *flammantia lumina torquens,* Aen. 5, 277 *ardensque oculis et sibila colla arduus attollens,* Sil. 6, 220 *gemino de lumine fulgurat ignis* et alia). ergo *cui crista superne edita* capitis in altitudinem erecti cumulum satis significat; pro *et se* autem non verbum desideramus, quod extat v. 172, sed sententiae satisfacit quod posui *ecce:* iam postquam caput extulit, capitis species et color conspicitur. sed certam dicere emendationem nolo.
174 v. 174 *metabat* circum se loca, *loca contemplat, circumspectat sese*, ut est in Trinummo 863. cum pervagata sint agri porticus castra *metata* et Seneca dixerit Thy. 462 *nullus mihi ultra Getas metatur et Parthos ager* (idem Phaed. 506 *nunc nemoris alti densa metatur loca*), hic versus activam formam testatur, valde accommodatam illam poetae sermoni non vitantis quae a cultiore stilo abhorreant et subinde ostendentis nobis quaedam quasi Latinitatis latibula, cuius rei gratias ei habebimus, non urbanitatem ori eius
177 obtrudemus. v. 176 *torvus* Silligius invenit; v. 177 *saepius* non desinunt veteribus novisque coniecturis temptare; sed consilium poetae tam apertum est ut qui locum perlegere dignetur moneri de gradibus descriptionis non amplius debeat. serpens solito tempore ad suam paludem se volvit frutices infringens et oculos ad pugnam ut solet intendens (163—168); iam ad ipsum locum adveniens *magis atque magis corpus revolubile volvens* (i. e. corpus volvens atque revolvens) regionem fontis perquirit (— 174); ut videt pastorem

in sua sede recubantem, oculos *acrius* intendit (et
diffundit: 189 *tenentem lumina* melius) et obvia *saepius*
arripiens infringit, maiore scilicet iracundia incensus.
haec igitur gradatione quadam narrationis continere
et illustrare studuit. iam *naturae comparat arma* (178) 178
quibus verbis non recte duo puncta impingunt, nam
non ira et sibilus serpentis arma sunt (179), sed dentes
et venenum. hoc versu (179) cecidit et se ipse indi- 179
cavit imitator; nam quod Vergilius aen. 6, 607 de
furiarum maxima praedicat *intonat ore,* id hic ad ser-
pentem transtulit inepte. contra *flexibus eversis* v. 180 180
bene et proprie dictum de motibus funditus repetitis
et quasi ex imo solo, ab undis maris sumpta imagine,
evertitque aequora ventis Aen. 1, 43, *ut eversas con-
citet Eurus aquas* Ovid. her. 7, 42, *rapiuntque pelagus
infimo eversum solo* Sen. Agam. 475; cf. Porphyr. ad
Hor. epod. 10, 5 (*Monac.*) — v. 182 in verbis *spiritibus* 182
rumpit fauces mutandi ne speciosa quidem ratio; nam
quod ad subiectum reditur modo derelictum, et ne re
quidem sed sermone relictum, minimae audaciae est;
de *spiritibus* autem pluralis numeri vocabulo dictum
est ad v. 149. at mutatio iam inveterata *spiritus erumpit
fauces* sermonis vim debilitat, *fauces* rumpuntur ut
alias ramices, iecur, ilia (Lucr. 3, 297 *pectora qui fre-
mitu rumpunt plerumque gementes*), quandoquidem per
fauces exitum non videtur habere nimia vis spiritus.
minus facilis cuipiam videatur defensio dativi *cui cuncta
paranti,* quem sane ad commoditatem incommodumve
referens Naekius (p. 304) nihil profecit. sed ad com-
parativum qui est *prior* relatus dativus eiusdem generis
est cuius exemplum ex Sallusti historiarum secundo
petitum novimus per Arusianum Messum s. *inferior
tibi* (vol. 7, 488 K.): *vir gravis et nulla arte cuiquam
inferior* et inferiorum temporum multa, quae tetigit

Woelfflinus archii sui vol. 6, 466 et 7, 117, cf. Hartelius ibid. 3, 44. *mihi maior hic natu* Sidonius, *tibi nemo prior* Venantius, alii alia; memorabile exemplum Solini, qui quod Plinius praeierat *Padus — nullo amnium claritate inferior* (nat. hist. 3, 117) sic reddidit ut pro ablativo poneret *nulli* (2, 25 p. 41, 7 M.). rursus igitur locutionis alienae ab urbano sermone, non a populari, documentum nobis tradidit poeta in poesi vetere ut videtur unicum; neque ea usus est sine solitis compositionis molestiis, si quidem alterum pronomen *hunc* ad pastoris personam audientes trahit antequam comparativus a quo dativus pendeat ad aures venerit; nam quod *parvulus umoris alumnus* medium adsumit comparativum, id nequaquam moleste fit.

184 sq. Hic in ipso argumenti discrimine brevis et succincta et pressa fit narratio, uno circuitu ista comprehendens: *namque pupula icta erat, cum prosiluit et illum morti misit, tum serpentem respexit, inde refugit et truncum detraxit;* tum demum consistit oratio et requiescit. brevitati autem consilio et arte institutae non suppeditabat facundia poetae: quo magis cavendum ne elaborati sermonis nimis quaesita proprietas, sive illa improprietas sit, elabatur. nempe peccavit in eo quod *lumina* quasi commune vocabulum oculorum posuit, *genas* et *gemmas* partium, palpebrarum scilicet (Ennianum *pandite sultis genas* attulit Scaliger) et pupillarum; cf. Ovidius met. 1, 722 *caudam gemmis implet* cum Plinio nat. hist. 13, 96 *pavonum caudae oculi;* A. L. 712, 10 R. (Apuleius) *et pupularum nitidas geminas gemmulas.* oculi igitur dormientis palpebras pandebant pupillis, scilicet ut gracili culicis acumine contingi pupillae possent; 'constat ergo pastorem ictum fuisse ea parte qua ictus facillime sentitur, nempe ubi oculorum anguli, qui ad tempora sunt, conivent'. sic

Taubmannus, qui etiam recte coniunxit *naturae telo* i. e. acumine (184; 178); alia Silligius explicavit. plusquamperfectum autem quod est *icta erat* (atque *icta* cum Italis sive *tacta* cum Schradero scribamus non multum interest) non alius generis est quam quod innumeris locis invenitur apud Ovidium potissimum, ut ista: *sumpserat ignara Theseus data pocula dextra, cum pater in capulo gladii cognovit eburno signa sui generis.* equidem igitur non video cur hunc potissimum locum quasi desperatum insignire optimi editores voluerint. testimonium autem nullum est quod obiter intuenti praebere videtur argumentum Donatianum: *pastor fatigatus aestu cum sub arbore condormisset et serpens ad illum proreperet e palude, culex provolavit atque inter duo tempora aculeum fixit pastori.* nam neque illud, *e palude,* accurate rettulit (v. s.) et *inter duo tempora* quod dicit, locum non alium definit, parum definit. adiungo Vergili locum qui ad sermonis genus prope accedit et quodam modo ad rem pertinere videatur, aen. 12, 270 *hasta volans — horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo balteus et laterum iuncturas fibula mordet — transadigit costas* (Il. Δ 132 sq.).

Ferit plaga fatalis culicem, obtritum pastor *Morti* 188
misit scilicet, *cui dissitus omnis spiritus excessit sensus;* illa epici poetae locutio, haec philosophi, et Epicurei quidem, lepide iocantis in morte culicis utraque. nam, ut hoc primum conficiam, *sensim* quod ex Vossiano et Aldina multi receperunt, sensum rei contrarium effecerunt; *spiritus excessit sensus* licet Vergilius aut Ovidius non dicturus fuerit et excedere soleamus fines, fidem, sed foribus, urbe, satis tamen illud comprobatum, cf. Sen. Oed. 23 *non ego penates profugus excessi meos,* Lucan. 1, 497 *patrios excedere muros;* Liv. 2,

37, 8; 23, 1, 3 *urbem excedere* et saepius, sed expellitur accusativus post Madvigium. anima igitur corpus interfectum relinquit, quam *spiritum* dicit, *τὸ πνευματικόν* quae pars est animae Epicureae, *ventus vitalis in ipso corpore, qui nobis moribundos deserit artus* (Lucr. 3, 128), *tenvis enim quaedam moribundos deserit aura* e. q. s. (ibid. 232), *morimur eiectis extra vitalibus auris* (577). et *dissitus* quidem spiritus, nam *λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος ἡ ψυχὴ διασπείρεται* (Epic. ep. 1, 65), *αἱ ψυχαὶ ἀπολυθεῖσαι τῶν σωμάτων καπνοῦ δίκην σκίδνανται* (Epic. frg. 337), *ἐν τῷ ἐκβαίνειν διαφοροῦνται καὶ διασκεδάννυνται.* atque Lucretius illo quidem verbo quod est *dissitus* de animai corpus moriens derelinquente non utitur, sed ait *animai diffugiunt partes per caulas corporis omnis* (3, 255), anima *dilaniata foras dispargitur* (539), perit *dispersa per auras* (544; 6, 839 al.) *discussa* (2, 953) *dispertita* (3, 589) *dissoluta* (613 cf. 578) *distracta* (4, 28), coetum corporum mors *dissupat* 2, 1003. tamen *dissitus* et vocabulum est Lucretianum et proprio usu ad animam pertinet, sed tantum ut *τὰ τῆς ψυχῆς μέρη τὰ παρ' ὅλην τὴν σύγκρισιν παρεσπαρμένα* (Epic. epist. 1, 63, schol. ad 66, cf. frg. 312) significentur. hunc in usum formavit vocabulum Lucretius, ut docet locus 3, 136 sq., ubi *τὸ λογικόν* dicit *situm* in pectore haerere, sed 'cetera pars animae per totum *dissita* corpus paret'. iterum 3, 376 elementa animae *rara per artus dissita sunt* et 4, 887 *in corpore toto, per membra atque artus, animai dissita vis est.* deprehendimus curiosum Lucreti lectorem non satis accuratum. anima autem dispersa *sensus* relinquit, nam non anima sensum habet sed corpus (Lucr. 3, 350 sq.), id autem *ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν* (Epic. ep. 1, 64), *dimissa anima corpus caret undique sensu* (v. 356 cf.

546. 578). illud difficile est diiudicatu in incerta orthographiae condicione, utrum *omnes sensus* coniungi voluerit poeta an *omnis spiritus.* omnes sensus dixerit ut Lucretius v. s. *corpus caret undique sensu,* ut 3, 504 *et omnis paulatim redit in sensus animamque receptat,* cf. 695 sq. ubi animae non posse se exsolvere dicuntur *omnibus e nervis atque ossibus articulisque* cf. 2, 944 sq. de verborum positura vide v. 90 *omnes derigit huc sensus.* sed omnem spiritum non minus apte dictum vindicat et Lucretius (3, 218 *omnis ubi e toto iam corpore cessit,* 546 *hominem totum magis ac magis undique sensus deficit*) et Epicuri de somno doctrina (frg. 311. 325), cf. Lucr. 4, 916 sq.: — *sensum cum sopor impedit, — animam perturbatam esse putandumst eiectamque foras: non omnem, namque iaceret aeterno corpus perfusum frigore leti.* ad hanc autem compositionem aptius quadret, quod *dissitus* et *omnis* vocabula iuxta posita sunt vim suam si coniunguntur invicem augentia.

Expergefactus pastor et conspecto serpente ex- 189 sq.
territus celeri motu refugit et facit quod Vergilius
praecipit (georg. 3, 420) *cape saxa manu, cape robora,*
pastor, tollentemque minas et sibila colla tumentem deice.
emendaverunt autem Bembus *orno* v. 192, Scaliger v. 193
in sententia item ad ostentationem Epicureae sapien- 193
tiae composita (cf. Stat. Theb. 12, 420 *stabat adhuc*
seu forte rogus seu numine divum) *cui* et *sociarit,*
Hauptius *valuit,* denique *talis* Silligius v. 194; qui 194
quem sensum emendato vocabulo ascripsit ('talis tamen
seu deus seu casus eum vincere voluit'), sane a latinitate parum commendatum, eum sua correctione tacite correxit Hauptius. *talis,* i. e. senior (186. 388) et metu exanimatus, satis ad debellandum cum monstro valuit. *tricatur scilicet, ut homo talis* Cicero ad Att. 15, 13, 5, *quid potuit novitatis amorem accendere tali?* Lucretius

5, 173, *et arma vel talis vidisse cupit* Statius Ach. 2, 80 (1, 754 K.), cf. Cir. 18. sic igitur concidit beluam; *cristae*
198 sq. in codicibus correctum. secuntur difficiliora, in quibus interpretandis proficiscendum est ab apodosi, de qua nulla est dubitatio, *hoc minus implicuit dira formidine mentem;* quae apodosis excipere fortasse, si per se spectas, illa poterit *quod erat tardus*, sed nullo modo ea quae intercedunt *nescius aspiciens timor occaecaverat artus,* quae tota partimve ἐν παρενθέσει posita non poterunt non contraria sententiae esse, nam nullo pugnae momento *timor occaecaverat artus* pastoris, ut de his quae, ut latina sint, ad rem non magis quadrant, *nescius aspiciens timor,* de his igitur ut taceam. immo quae praedicantur istis verbis si negabuntur demum recte habebit. si adpropinquantem procul pastor vidisset serpentem, facile factum esset ut timore eius membra obtorpescerent, cum praesertim nonnullorum serpentium noxium esse aspectum comperiamus (Plin. 8, 77 sq.); sic uno obtutu periculum cognoverat, repente repedaverat et pugnam non susceperat magis quam profligaverat. ergo egregium factum quod Silligius negativo vocabulo sic usus est, ut negationem simul et temporis ante acti notionem nobis praestaret: *nec prius aspiciens timor* (i. e. timor aspiciendo factus, aspicientis) *occaecaverat artus*. item Hauptius iudicavit et Thilo, qui Hauptium etiam in emendatione antecedentis versus sane non probabili sequitur. nimirum quod libri praebent *et quod erat tardus omni languore remoto* quibus sententiae atque metri quoque vitiis laboret apparet; nisi quod ad metrum defendendum versus 395 et 124 adferri possunt, sententiam Naekius p. 306 infeliciter defendit. *tardus* enim nullo modo appellari potest qui statim aspecto serpente *impiger* refugerit quamvis exanimatus et vix compos mentis.

atque hanc pastoris notationem iam continuari atque suppleri videmus: qui impiger quidem sed metu correptus impiger fuerat, mentem eo minus implicatam formidine habebat, *quod erat* e. q. s. *nec prius aspiciens timor occaecaverat artus.* identidem ad librorum scripturam explicandam hanc viam temptavi, ut *quod erat tardus somni languore,* eo *remoto* sic fere poetam dixisse probarem ut Seneca Phoen. 47 *quid segnis traho quod vivo,* scilicet id quod in me restat vitae. atque perspicuum quidem sermonem non curat poeta, metrum apte structum magnopere curat, quo non commendatur ista explicatio molestas in versu sententiae incisiones efficiens; nec vero ipsi sententiae satisfacit. timuerat pastor, cito refugerat, deinde impugnaverat bestiam; iam *omni languore remoto* et quod timor subitus ac momentaneus fuerat, etiam timere desiit. primum igitur *somni* non aptum est vel non aptissimum, praestat *omni,* nam primus languor iam v. 190 removetur; deinde desideratur fortitudinis, strenui durique animi significatio, quo animo factum sit ut in ipsa pugna timorem deposuerit. licet non lenissima sit mutatio, aptiorem inveniri emendationem non posse scio (certe adiectivum eiusdem sensus nullum tam probabiliter substituatur) quam ut scribatur *et quod erat virtus, omni languore remoto.* audiamus Columellam sic de capellarum magistro praecipientem 7, 6, 9: *magister autem pecoris acer, durus, strenuus, laboris patientissimus, alacer atque audax esse debet, et qui per rupes, per solitudines, per vepres facile vadat* e. q. s., cf. Varronis de r. r. 2, 10. — de pronominis usu qui 201
est in v. 201 satis disputavit Naekius.

Iam omissa curiosiore pastionis enarratione, cui re magis memorabili incohata nec poetae animus neque aures audientium vacant, nocte adventante pastorem

cum capellis domum redire refert et ad dormientem
205 devenire culicis imaginem. de v. 205 dictum ad
206 v. 92; de v. 206 cf. ad v. 158 sq. somnus per corpus
diffusus soporem per membra effundit; Lucretius 4, 907
somnus per membra quietem irrigat (Aen. 3, 511),
Lygdamus 4, 81 *ignavus defluxit corpore somnus.*
constructio verbi quali Manilius utitur 3, 2 *nec per
inaccessos metuentem invadere saltus.* nescio quis
ante illum tam accurate expresserit Homerica Ψ 62
*εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε, λύων μελεδήματα θυμοῦ,
νήδυμος ἀμφιχυθείς· μάλα γὰρ κάμε φαίδιμα γυῖα·
ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο,* quae et ipsa
208 convicia facit dormienti. v. 208 quae sine causa fit
variatio pronominis quaestionem moveat an *illo* scri-
bendum sit; sed quod in cultiore sermone offendat
satis tutatur Plauti exemplum, qui talia frequentat:
*is me adiit, nam illum prodire pudet in conspectum
209 tuom* (Most. 1155). v. 209 utut verba collocavit, hoc
voluit poeta: ab eventu tristis mortis convicia cecinit.

210 In ipsarum culicis querellarum initio v. 210 Heynius
emendationem perfecit ab Italis et Scaligero incohatam.
212 per inania rapitur v. 212 (cf. Aen. 12, 906 et 6, 269. 740;
Stat. Theb. 1, 310 *sublimes raptim per inane volatus
carpit*), et *ventis* quidem rapitur, de quo vocabulo du-
bitatum est, ut sine adiectivo Vergilius Aen. 4, 381
ventis pete regna, Manilius 5, 42 *ventisque sequetur
Fortunam* cf. 56, Cicero ad fam. 12, 25, 3 *atque inde
ventis remis in patriam omni festinatione properavi*
(cf. Philipp. 1, 9), Ennius *cum procul aspiciunt hostes
accedere ventis navibus velivolis.* — permire accidit
215 ut v. 215 culex dicat *viscera* sua inferorum amnem
transferri. in quo ullius auctoris de anima sententiam
eum secutum esse non comperimus. viscera cum anima
coniungit Statius silv. 5, 1, 47 *(illa te) visceribus totis*

animaque amplexa fovebat, 5, 9 *viscera nostra tenens animamque avellitur infans* et sine anima 3, 5, 30 *(tu me) visceribus complexa tuis.* sed Statius Culicem legerat. cuius poeta forsitan viscera pro anima posuerit secus intellectis Lucreti locis quales sunt 2, 963 *materiai corpora vi quadam per viscera viva, per artus sollicitata* (quo loco usus est ad v. 224), 3, 216 *animam perparvis esse necessest seminibus, nexam per venas viscera nervos,* 336 *accensus nobis per viscera sensus,* cf. 300. 375. sed hoc est stultitiam illi imputare. certe iocari volebat in culicis visceribus, cuius *intestinum quodvis quale esse putandumst?* (Lucr. 4, 118.)

Ille igitur queritur quod cogatur a Manibus inire Tartara; contra Patroclus: *τῆλε μ'ἐέργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων, οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν.* unde gravior, si totum carminis argumentum spectamus, quaestio iampridem mota, quam illustravit Birtius de Ovidi halieut. 51 sq., hoc loco se inculcat lectoribus. culex necatus et sane inhumatus relictus est a pastore; apparet dormienti, si ullus erat inventionis lepos, ut iusta sibi mortuo flagitet et sepulcrum: nullum de sepulcro verbum facit, nisi eo referas v. 231 *existat par officium* (414 *funeris officium*); sed pastor ex somno confestim ad tumulum concinnandum pergit. contra inferorum copiosam descriptionem occinit interfectori cum secundum Homerum et Aeneidis sextum inhumatis inferorum sedes non pateant et hoc ipsum sit cur flagitari soleat officium: *εὕδεις αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ.* voluerunt quasi praecipere oratione culicem quae necessario visurus esset, at apertissimis verbis visorum seriem enarrat, tamquam aliquis Er Armenius. quae duae res argumento contrariae in unum collatae efficere videntur, ab ipso argumenti inventore ita rem institutam fuisse, ut culex a pastore

dormiente sepulcrum flagitaret, ille imperata faceret; ergo verisimile est, poema graecum, ad cuius exemplar Culicem compositum esse coniecimus, inferorum descriptione caruisse et poetam Romanum hunc locum argumento inseruisse, multa doctrinae supellectile undique congesta. quo labore obrutus rem principalem adferre oblitus est.

Culex amnem transvectus ad Tartari limen per-
216sq. venit. atque Itali restituerunt v. 216 *vidi ut flagrantia taedis limina collucent* sollemnibus scribendi erroribus correctis; sed necessaria etiam est Bembi emendatio *viden ut,* nam per totam narrationem eo artificio utitur, ut nunc maxime quasi duci et rapi se per omnia fingat (cf. Hauptius opusc. 3, 70). deinde pro *infestis*, quod quaesitius est nec tamen poetis aut scriptoribus inusitatum (*infestaque terra colubris, ut minus infesta iaciam regione labora* et alia nota omnia), commune ut fit et iners vocabulum posuerunt et per omnes editiones circumferunt. cf. Stat. silv. 3, 2, 106 *limina festa.* sed eodem versu *omnia* nullam admittit interpretationem: sive *omnia limina* coniungis ut plerique, unum tantum limen advena videre potest; sive intellegis *viden ut flagrantia taedis limina, collucènt infestis omnia templis*, ut *collucent ἀπὸ κοινοῦ* positum sit, huic quoque poetae Ditis regna luce carent (273. 372); sive ita distribuis *vidi, ut flagrantia taedis limina collucent, infestis omnia templis,* ut scilicet accessu prohibitus videre tamen omnia potuerit culex (fere ut Aeneidis secundo 483 *apparet domus intus et atria longa patescunt, apparet Priami et veterum penetralia regum armatosque vident stantes in limine primo*), incidit ista distributio omne quod deinceps ducitur narrationis filum. ergo omnia ut videor expertus emendavi non ut nova res accederet sed vigor sermoni et quam

in deliciis poeta habet figura: *infestis obvia templis, obvia Tisiphone;* vide 231 *feror avia carpens, avia Cimmerios inter distantia lucos,* et item v. 124. 132. 134. 275. 359, cf. etiam 245. 311. 337. atque epanalepseos (de qua et alii et ad Callimachum locuti sunt Meinekius (p. 254) et Schneiderus (1 p. 338) exempla apud Catullum (64, 26. 61. 132. 259. 285. 321; 66, 75. 82) non minus quam apud ipsum Lucretium invenit (2, 159. 955; 3, 12; 4, 789; 5, 298. 950 al.). accedit ut *infestis templis* ab illis, *limina collucent,* secernendum videatur, nam sicut de ipso inferorum limine agitur, casus localis
locum non habet. quod Tisiphonen serpentibus un- 218
dique *comptam* poeta dicit, non *cinctam,* non sine ratione fecit; etenim hoc unum vocabulum crinibus implexos angues indicat: Catullus *anguino redimita capillo frons,* Vergilius *caeruleosque implexae crinibus angues Eumenides*, Horatius *intorti capillis Eumenidum angues,* Ovidius *deque suis atros pertebant crinibus angues,* Tibullus proprie magis *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.* cf. Stat. Theb. 1, 90. 103 all.
quod v. 219 in fine exhibent libri *poenae* (cf. 233. 337) 219 sq.
si ad Tisiphonae verbera pertinet, *Cerberus* sequenti versu verbo eget; ista sane *et diris flagrant latratibus ora* optime dicta sunt, sed non, qua de re Heynio astipulatur Silligius, *flagrant ora* 'repetito rei actu et intentione operae', sed flagrant in latrando, ut tauri Aeetae *fumificis locum mugitibus impleverunt,* ut caelestis *latrat canicula flammas* (Manil. 5, 207); quod genus latratus num tantum ausus sit ut primus Cerbero tribueret poeta quaerere distuli; etiam Gratti canes *patulis agitatos naribus ignes spirant* (v. 270) et Stati Tisiphonae (Theb. 1, 107) *igneus atro ore vapor.* atque aptum per se sit *pone Cerberus,* sed id qui posuit Hauptius, cum sequentium verborum arbitraria muta-

tione ponere debuit. parum eleganter *pone est* Peerl-
kampius, praetulerim si quis invenerit verbum quale
prodit, ut sermonis species eveniat qualis e. g. Stat.
Theb. 2, 114 *hinc tumor, et longus fratri promitteris
exul.* sed omnino dubito an recte traditum sit *saeva
quatit mihi verbera poenae* et deinde versiculus inter-
ciderit prodeuntem e specu canem depingens, cf. ad
221 v. 248. v. 221 *horrent* Itali emendaverunt (Aen. 6, 419
222 Sen. Herc. f. 786), *sanguineique* iam in Cantabrigiensi
legitur, et *sanguinei luminis ardorem* sane fortius di-
cuntur quam *sanguineum ardorem luminis* micare oculi.

Hic digreditur ab argumento culex, ut limen sci-
224 licet inferorum, transgressus pastorem verbis Lucreti
(2, 960; 6, 1157; cf. 1, 852; 6, 1208) moneat se *leti*
223 sq. *limine ab ipso* eum revocasse. cum hoc feci, inquit
v. 223, *quid ab officio digressast gratia?* in quibus
verbis explicandis quoniam argutantur et titubant inter-
pretes, dicendum est hoc ea significare: quid est quo
gratia, i. e. beneficium meum, ἡ χάρις, ab officio,
beneficentiae scilicet sive pietatis, deflexerit? pergit: ubi
praemia pietatis? nulla sunt: mortem tuli pro bene-
ficio, i. e. poenam; non deprecor, modo gratum ani-
231 mum praebeas, beneficium reddas. minime igitur ista,
existat par officium, ad funus necessario referenda
sunt, sed ex Stoicorum sententia, de qua plurima
Seneca, ad officium quod promerenti praestat qui
226 grato animo beneficium agnoscit. v. 226 *in vanas
abiere vices* ut v. 210 *acerbas cogor adire vices* nomen
posuit evanescente significatu, sed utrubique cum verbo
eundi. ibidem ut Bembi et aliorum certissima emen-
datio est *et rure,* copulare tamen sententias si parti-
culam iubeas, non nomen efferre, sententiae vim de-
bilitaveris. ruris propria solebant esse iustitia et fides.
quas terram olim reliquisse cum notus sermo esset

(Hes. op. 190 sq. Theogn. 1137 sq.) et Aratus in mon-
tibus morantem virginem fecisset, antequam in caelum
recederet, Vergilius in agricolarum laudatione illud
posuit: *extrema per illos Iustitia excedens terris vestigia*
fecit. accedit solita vitae rusticae cum aurea aetate
comparatio. ergo poetice miratur culex, non extinctam
esse fidem veterem rusticanam, sed etiam rure deas
recessisse. *Iustitia et* Schraderus emendavit. sed omnia
pervertunt qui pro *vidi* aut *vici* aut nescio quid aliud 227
posuerunt. fortiter compressa oratio nomine quod est
fata in alterum enuntiati membrum retracto mani-
festam habet sententiam ab Heynio probe perspectam:
alterius fata instantia vidi, non respexi, mea fata
neglexi, patior quod alteri patiendum fuit. *fit poena* 229
merenti i. e. bene merenti, promerenti non tantum
gratia non redditur, sed interitus paratur. deinde
poena sit Itali emendaverunt; *modo — dum* multi non 230
tolerabant (*dum* v. 83); neque vero, etsi ista vocabu-
lorum inversio vim et naturam eorum violare non
videatur, video cur non maluerit ponere *poena sit*
exitium, dum sit modo grata voluntas. nam poetas
syllabarum simile sonantium concursum vitasse novi-
ciorum hominum inventum est.

Redit illuc v. 231, atque in damnatorum quidem
locum devehitur. *avia distantia* quid sibi velint osten- 232
dit v. 259 *distantia numina cerno*, i. e. remota, diversa;
sed quid cum eo participio coniunctum significare
possit *Cimmerios inter lucos* non apparet. Cimmerios
lucos non potuit collocatos arbitrari nisi in introitu
inferorum, inter ea distare spatia Tartari non potuit
dicere; nescio an dixerit Tartara *infra* Cimmerios
lucos remota, ut ingressus inferos culex deorsum fe-
ratur. a Vergili descriptione quantopere differat infra
dicemus, sed quin eam noverit non erit dubium; ille

igitur 6, 578: *Tartarus ipse bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras, quantus ad aetherium caeli*
233 *suspectus Olympum.* de v. 233 dixi ad v. 168, cf. Aen. 6, 565 *ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.*
236 v. 236 *rescindere caelum* Vossianus ex Vergilio interpolavit (6, 583 cf. georg. 1, 280); notam rem non memorarem si in ulla editione inde ab Heyniana (cf. Schraderus emend. p. 19) verum verbum compareret. apparet autem iam ex Cimmeriorum mentione, deinde ex Oti et Ephialtae et Latonae nominibus, quae Vergilius non habet, poetam ipsa Homeri necyia usum esse; Vergilius etiam Tantalum et Sisyphum omisit,
241 eorum descriptio cum Homerica concinit. *extat* v. 241 necessaria est Heinsii emendatio: *ἑσταότ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ,* sic tamen a sperata sitis seda-
240 tione in omnia revolvitur (v. s.). *revocatus* scilicet a
243 sq. deorum mensa. magis ista comparatio nos iuvat in Sisyphi labore, qui *λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον* (atque *adverso monte* Itali emendarunt), *contempsisse dolor quem numina vincit acerbus.* commode Heinsius coniecit *labor,* sed ille vertit Homerica *καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα.* *vincit* recte interpretatus est Taubmannus 'quem dolor cruciamentorum convincit ipsum fuisse deum contemptorem'. qua verbi notione et structura aliorum audaciam vicit. nam evincendi significatum verbum cum frequenter habeat in talibus enuntiatis: *neque eum ferro nec frigore vincere possis interiisse* et pervincendi sive cogendi subinde, ut Plauti mil. 187 *ut eum verbis vincat ne se viderit,* Horati epod. 17, 27 *ergo negatum vincor ut credam miser,* convincendi notio est vetustis Latinis in formula iuris *ast eius vincitur* et Oscis in eadem *in eizeic vincter,* et Gortyniis item in eadem *αἴ κα νικαθῇ* (cf. Buechelerus mus. Rhen. 40, 477). iste vero non

hausit ex vetusti sermonis fonte, sed pro composito simplex posuit, ut e. g. videbat Lucretium saepius stinguendi pro exstinguendi verbo uti, semel pro distinguendi (1, 486). atque audacius etiam v. 63 *data vellera* posuit et audacissime v. 391 simplex *capit* pro composito *incipit*. ceterum consulto fecisse videtur ut post v. 239 nulla damnatorum nomina, inde a v. 262 rursus beatorum nominaret.

V. 245 dubitaverunt critici, ad Sisyphum *quae-* 245 sq.
rentem cum vera librorum memoria an ad Danaides *quaerentes* cum Italis quibusdam referrent; atque hoc quidem interim in coniecturis seponamus, illud parum commode fieri videtur, etsi fieri potuisse non negamus; sed poetae consilii indicium habemus quod ubique certarum umbrarum copiosius enarratarum exempla versuum finibus describit, neque vero post v. 244 additum de Sisypho quicquam desideramus. tali deliberatione opus est quoniam in v. 245 corrupta nos impedit vocabuli species *siblite*. atque ad certius de versus initio iudicium perducimur dum rationem observamus qua visorum ordinem culex profert: fertur avia carpens (231), terretur tantis umbris insistere (239, cf. Manil. 5, 577 *non territus ire*), alia agmina videre cogitur (248), numquam mutari laborem queritur (258) e. q. s. ad eum orationis cursum pertinet *otia quaerentem frustra*, et hic quoque sensus Vergilianus est: *quo fessum rapitis, Fabii?* (6, 845), verborum positio qualis Ovidi trist. 3, 1, 67 *quaerentem frustra custos — iussit abire*. hoc intellecto emendandi nulla est ambiguitas, siquidem *ite puellae, ite* quin sermoni unice satisfaceret post Bembum pauci dubitaverunt; desideratur verbum unde *quaerentem* pendeat, et verbum quidem imperativum: nullum extat praeter *sinite*. nec mirum quod ex *sinite ite* illa species evasit *siblite*.

quae secuntur de Danaidibus ex eorum genere sunt quae vel in hoc carmine maxime mireris homines acutos et in legendis poetis exercitatos non intellexisse et coniecturis obruisse. *ite, quibus taedas accendit tristis Erinys: sicut Hymen praefata dedit conubia mortis.* quid hic non sanum et probum, nisi forte asyndeton duriusculum videatur, quo tamen figuratum sermonem affectus indicandi causa poeta voluit. non Hymenaeus in nuptiis aderat sed Erinys: *ac mihi nec Iuno nec Hymen, sed tristis Erinys praetulit infaustas sanguinolenta faces,* ut unum ex multis locis (Ov. her. 6, 45) adferam, de quibus post alios disputavit Richardus Schmidt de Hymenaeo et Talassio p. 64 sq. de more autem ea specie induta advenerat, ut iustum nuptiarum numen eis esse videretur qui in sacris aderant; ergo *sicut Hymen praefata* est, sed *dedit conubia Mortis.* nimirum, id si monere opus est, *omnibus rebus agendis quod bonum faustum felix fortunatumque esset praefabantur* (Cic. de div. 1, 102) et *Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro XII negat oportere atro die parentari, quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet* (Macrob. sat. 1, 16, 25); ergo *talia praefantes quondam felicia Peleo carmina divino cecinerunt pectore parcae* (Cat. 64, 382), et Lygdamus (2, 15): *praefatae ante meos manes animamque precatae — ossa legent.* quibus contraria sunt *novissima verba* (Aen. 6, 231 in parentatione). et eo sensu utitur Statius ut male praefetur epicedio 5, 5 *me miserum — neque enim verbis sollemnibus ulla incipiam.* Erinys igitur illa, ut Medea quasi pronuba Erinys *post sacrificas preces caedit dicatis victimas altaribus* (Sen. Med. 38), sic et ipsa Hymenaei preces et personam imitata mortiferas peragit nuptias. aliter ipse Hymenaeus nuptiis infaustum eventum habituris

adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba nec laetos vultus nec felix attulit omen (metam. 10, 4). — *dedit conubia:* cf. Stat. silv. 3, 4, 54 *ipsaque (Venus) taedas iunxerat et plena dederat conubia dextra.*

V. 248 *atque alias alio densas super agmine turmas* 248sq.
impietate fera vecordem Colchida matrem (nam *vecordem* Itali emendarunt) mutila sententia est, quam ut sarcirent Bembus *densat* scripserat, quo cum contenti plerique essent (quid sibi velit a Silligio quaeras), Hauptius pro *super* posuit *supero,* Birtius quod sane melius est (nam illud vel metricam rationem respuere idem docuit) *sequor.* sed neutrum tolerari potest. video quid sit *alias sequor turmas,* sed nescio quae sint *aliae turmae alio agmine densae*; potuit fortasse *alias turmas agmine densas,* sed *alio agmine* eas turmas densas esse, id sensu caret. intellegimus puto eo ipso vocabulo quod est *super* careri non posse: si simpliciter loqui poeta voluisset, dixisset *alias super aliis turmas* vel *aliam turmam super alia,* praetulit *alias turmas super alio agmine* vel potius *alias densas turmas super alio agmine,* moleste sane et ut locum eandem figuram qui praebeat afferre non possim. plane loquitur Lucretius 6, 186 *nubibus extructis aliis alias super* sive Vergilius Aen. 10, 881 *inde aliud super atque aliud figitque volatque,* sed ut inde quoque disci possit, illorum *alias alio super* nihil abici aut immutari posse. atque omnino tali medicina non est hic versus sanabilis. quod ut demonstrem, verbi causa substituamus ei vocabulo, quo facillime careri possit, verbum ad enuntiatum conficiendum: *atque alias alio cerno super agmine turmas, impietate fera vaecordem Colchida matrem anxia sollicitis meditantem vulnera natis; iam Pandionias* e. q. s.: num fieri potest ut Medea turmarum agminisve exemplum ponatur, verbo

non addito quo intellegatur eam turbae alicuius agminisve partem esse? accedit ut *iam* v. 251, quod dico *τὸ εὔλογον* secutus, non sciens aut docens, anaphorae figuram indicet. haec omnia eo perducunt ut aliquid post v. 248 intercidisse statuamus, cuius iacturae modum et genus his verbis illustrare licet: *atque alias alio densas super agmine turmas [atque alias scelerum facies, iam cernere cogor] impietate fera vaecordem Colchida matrem* e. q. s. — quod v. 248 Vossianus *turbas* praebet, meminisse iuvat quod Gitlbauerus in Woelfflini arch. 1, 349 de *turbae* et *turmarum* usu Horatiano monuit. quem usum non ad unum Horatium pertinere dico, sed ad Vergilium item; Ovidius *turbam* habet et *turmam,* Propertius *turbam turmam* (non 3, 14, 14 sed 4, 4, 31) *turmas* (2, 10, 3), Tibullus *turbam,* nec video quis poetarum agmina (cf. Non. 524; scholion Aen. 10, 432 ad Terenti Ad. 907, ubi *turbas* Bembinus, *turbam* Calliopius) *turbas* dixerit; certe falsa sunt quae et alii dixerunt et Broukhusius ad
250 Prop. 3, 12, 16. — *anxia vulnera* v. 250 eadem figura
qua *volucres auras* v. 253, nisi quod has a Vergilio
252 sumpsit. v. 252 emendavit Silligius: *ἆ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν*
256 *ὀλοφύρεται.* v. 256 nescio an fortius sit *aversatus*
259 quam quod olim correxerunt *aversatur.* item v. 259
nescio cur *numina* mutentur; quae si ad manes aut ad locum numine plenum referre dubites, at sunt numina inferorum, et statim obviam venit Persephone.

260 Incipit locus de Elysio, cuius in limine est versus quem certa ratione explicare despero. tantum video, *Elysiam undam* (cf. Stat. silv. 5, 3, 2 *Elysio de fonte,* Theb. 3, 247) eliminare et Eridanum inferre arbitrariae licentiae esse; difficultas non est illorum verborum sed participii quod est *tranandus,* neque in sensus vel notionis obscuritate difficultas inest, sed in forma; neque enim

licet talia substituere quale *miserandus,* sed hoc ipsum flagitatur: tranaturus, traiciendus (cf. 215, Aen. 6, 671). atque notum est sermonem Latinum popularem multos participiorum defectus multis modis passim aliorum participiorum ope sarcire studuisse, sed in urbanitatem eius modi conatus numquam multum valuisse. illo autem participii genere et casca lingua usa est in nominibus qualia *Adolenda Commolenda secundus verecundus moribundus* et Varronem sic usum esse videmus: *longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt* (de l. l. 6, 11), Verrium Flaccum in fastis Praenestinis sic: *Flora quae rebus florescendis praeest* (alia Neuius 2, 347); atque fere ut illo loco *tranandus* in libris ponitur pro eo qui tranabit coactus, ut scilicet verbum neutrum habeat participium quale in iaciendi verbo est *traiciendus,* Plautus dixit *placenda dos est* et *puppis pereundast probe* (Trin. 1159 Epid. 74). ergo aliis ista verba mutantibus (Scaliger quidem repetit ut tradita sunt ad v. 381) assensionem cohibebimus et recordabimur eundem poetam et *serpentem volventem* et *volventia membra* et *umbras duplicantes* et *variantes flores,* ne illa quidem sine exemplis sed vivo sermone duce, carmini intulisse.

Obvia fit in Elysium advenienti (ut *obvia Tisi-* 261
phone in Tartari limine v. 218) Proserpina cum heroinis, ut est in Odyssiae *λ* 225 *αἱ δὲ γυναῖκες ἤλυθον, ὤτρυνεν γὰρ ἀγαυὴ Περσεφόνεια, ὅσσαι ἀριστήων ἄλοχοι ἔσαν ἠδὲ θύγατρες.* inde ille mulierum comitatus; ipsa res autem iterum invenitur, in Stati epicedio Priscillae silv. 5, 1, 253 *praeterea si quando pio laudata marito umbra venit, iubet ire faces Proserpina laetas egressasque sacris veteres heroidas antris lumine purpureo tristes laxare tenebras sertaque et Elysios animae praesternere flores.* adnotavit autem Mark-

landus 'totus hic Statii locus sumptus est ex Vergilii Culice', quod si ita esset non mirum esset in Statio Culicis lectore; sed dixit illud Marklandus nulla necessitate coactus, nisi quod rei praeterea nullum videtur extare vestigium; sed Culex nihil habet nisi quod praestetur ab Homero, Statius novum et memorabile addit honoris causa fidis coniugibus obviam venientes fidelissimas; eandem in Culicis exemplari sententiam fuisse, sed tractatione obscuratam, ut scilicet culex ob pietatem mortuus ab heroidibus salutaretur, ea de causa non est admodum probabile, quod ille in Tartara redit v. 372. uterque igitur ab Homero pendet; a Stati autem ingenio non alienum est eius generis argumenta proprio Marte exornare, cf. silv. 5, 3, 284 *ite pii manes Graiumque examina vatum, illustremque animam* (patris) *Lethaeis spargite sertis et monstrate nemus quo nulla irrumpit Erinys;* 3, 3, 22 *exultent placidi Lethaea ad flumina manes, Elysiae gaudete domus, date serta per aras festaque pallentes hilarent altaria lucos.* inter
264 heroidas primam Alcestin cum Admeto *in Chalcodoniis* fuisse (nomen restituit Dorvillius) doctrinam ostentans dicit: habet singularem notitiam unde nobis venit, ex Apolloni Rhodii primo v. 49 ***οὐδὲ Φεραῖς Ἄδμητος ἐυρρήνεσσιν ἀνάσσων μίμνεν ὑπὸ σκοπιὴν ὄρεος Χαλκωδονίοιο,*** ubi nihil novi ascriptum est in scholiis. *fata* Bembus posuit, cum in libris sit *cura:* probabiliter, quatenus *cura* hic errore repetitum esse vocabulum potest ex versu antecedente. coniecturam meam, scripsisse poetam *Admeti iura moratast,* non satis exemplis comprobare possum quae ostendant in hac voce usum genetivi contrarium illi *evincas utinam iura fere Stygis* (Sen. Herc. f. 558), *tristia iura dei* (epic. Drusi 440). de
265 v. 265 dixi ad v. 11. ad *Ithaci decus* cf. 360. 402. *Icariotis* apud Propertium et Ovidium nominatur.

v. 266 Birtius emendavit. atque quo modo hic *decus* 266 repetitur, eodem alia multa ab hoc poeta etiam sine discrimine iterari notum est; *femineum* autem *decus* propria notione distat ab eo quod est *Ithaci decus.* verbum *manet* nescio an ad procos tantum pertineat.

Sequitur locus de Orpheo 268—295, cuius de pri- 268 sq. mis versibus recte iudicare non poterimus antequam de ultimis rem confecerimus. ista igitur sic in libris sunt (nam nunc fere ex Barthii aliorumque coniecturis eduntur): *quid misera Eurydice tanto maerore recessit poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te?* i. e. cur Eurydice tristis est et a sodalium turba se segregavit et cur nunc quoque, Orpheu, puniris propter respectam coniugem? nam Orphea quidem adfatur, neque tamen necessarium est cum Scaligero reponi *in te manet, Orpheu;* primi casus formam satis defendebant aliorum poetarum exempla, ut Vergilianum Aen. 11, 464 *Messapus* (cf. Aspri quaest. Verg. p. 111 sq. K.); neque tam mirum est, forma poetam modo hac modo (292) illa uti, quam ex consuetudine factum quod artificio metrico semel ostentato (117 *tantum non Orpheus Hebrum*) iterum utitur, ut scilicet vocabulum bisyllabum graecum eo loco versus ponat quo non possit non esse latinum trisyllabum. cf. Birtius mus. Rhen. 34, 18 sq. hactenus de sensu et forma traditae lectionis; consilium poetae deinceps explicabitur. atque primum ab Orphei compellatione 270 deflectit orationem: *audax ille quidem* (cf. Ovid. art. 3, 489 *perfidus ille quidem qui talia pignora servat*) quibus verbis excusatio Orphei inducitur: *sed* 277 *fortuna valens audacem fecerat ante*, scilicet *ante valens,* ut in hoc versuum circuitu verba coniungenda distinentur v. 273 *Ditis regna,* v. 275 *Ditis sedes,* v. 279 *voce Orphei,* v. 287 *fas Mortis.* atque non

272 *audax* tantum: *nec timuit Phlegethonta furens ardentibus undis,* nam hanc librorum scripturam vindicavit Birtius de halieut. 50. *Phlegethon ardentibus undis,* ablativus vim fluminis et nominis declarat; *furens* ut Ovidius ex Ponto 1, 1, 25 *nec me nominibus furiosus*
275 *confero tantis.* ut hunc versum Bembus sic versum 275 iniuria temptavit Scaliger, qui ad haec verba *nec faciles Ditis sine iudice sedes* ipse attulit Vergili versum 6, 431 *nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes*, sed addidit 'mallem tamen *nec faciles Dictaeo iudice sedes*', quam levissimam magni viri coniecturam receperunt fere omnes, Ribbeckius ut ascriberet Vergili versum unde nimirum interpolationem venisse significaret. immo unum hoc certissimum exemplum est expressae Aeneidis, eo certius illud quo contortiorem imitatio sermonem effecit. nam illa sane Heyniana interpretatio stare non potest: 'ad quas non facilis aditus, quae non admittunt aliquem, nisi iudicium subierit'; neque enim ullus mortuis aditus est sine iudice. immo negationis vis eadem est de qua ad v. 65 diximus. *nec faciles Ditis sine iudice sedes* idem est quod 'et Ditis sedes non sine iudice faciles': si sine iudice essent, faciles essent (cf. Ovid. met. 1, 91 sq. Aen. 6, 534 *tristis sine*
281 *sole domos*). v. 281 accidit, item ut v. 27 et 319, ut ex vicino aliquo versu verba quaedem sive ad sarciendam lacunam sive errore scribentis arcessita sint in exarando uno illo libro unde omnes videlicet Culicis codices provenerunt. inter *quercum* et *silvas* quod intercidit sane ad arbores pertinebat, aves putes *(quae silvas et aves saxaque traxerat; advexit volucrem nemus et silva residens venit);* sed has ipsas indicant *silvae sonorae* (cf. *argutum nemus, arguta ilex* Vergili, *argutum gramen* Columellae 10, 284), quas iam nemo consistere patitur; ergo aliud potius arborum genus nominatum

erat velut *pinusque simul,* quo aptius *silvae* deinde
inferrentur. v. 282 *cantus rapiebant cortice avara* in 282
memoriam revocat Ciceronis verba de orat. 3, 162
versum Enni *(oculis postremum lumen radiatum rape)*
sic illustrantis: *non dixit cape, non pete, haberet enim
moram —, sed rape.* cf. Stat. silv. 3, 5, 33 *tu pro-
currentia primis carmina nostra sonis totasque in mur-
mure noctes aure rapis vigili.* Ach. 2, 120 (1, 794)
vigilique haec aure trahentem. v. 283 necessaria est 283
Italorum emendatio *Lunae,* neque quicquam est in hac
sententia inepti: *Orpheus Lunae equos per sidera la-
bentes pressit* (Aen. 1, 63 *premere habenas,* Ovid. am.
1, 13, 10 *supprime lora*) *et tu, Luna* (*menstrua virgo* 284
male derivatum ex *menstrua Luna* georg. 1, 353)
auditura lyram eos tenuisti. et equos et Lunam car-
mine delenivit, equorum iam inhibuerat celeritatem,
tum Luna eos stare iussit *nocte deserta,* ut est in
Senecae Phaedra v. 310. sed ferri non potest *currentes
tenuisti,* nam totum sententiae acumen in eo versatur
quod currere iam ipsi fere desierunt, tum tenentur.
ergo scripsi *cupientes tenuisti,* scilicet teneri cupientes.
— v. 286 sq. ut saepe fecimus poetam rursus experimur 286 sq.
sensibus non acutis aut splendidis sed per laborem
plurimum quaesitis utentem et verbis obscurissimum.
*haec eadem potuit Ditis te vincere coniunx Eurydi-
cenque ultro ducendam reddere,* in his nihil ambiguum:
lyra deam vincit et quasi ipsa reddit coniugem citha-
ristae quae deae persuadet ut reddat, et *ultro* quidem,
nam nisi precibus nullo coactu pretiove redimitur
Eurydice. sequitur: *non fas, non erat in vitam divae
exorabile mortis.* atque summa sententiae apparet:
non fas mortis exorabile erat. ergo inter se oppo-
nuntur exorata deae voluntas et infaustus rei eventus,
opponuntur Proserpinae ipsa lex et mortis necessitas.

fas igitur mortis non erat exorabile *in vitam,* ut vitam concederet, quem praepositionis usum 'quo de consilio et effectu actionis dicitur, ipso rei quae efficitur nomine adiuncto' tractavit Madvigius opusc. acad.[2] 135 sq.; Taciti exempla, quorum quaedam audaciam ostendunt qualem ille sibi sumpsit (ann. 1, 57 *neque victa in lacrimas neque voce supplex*) collegit Nipperdeius ad ann. 2, 13; aliud dictionis exemplum, ut solet, statim infert v. 301 *sociat gloria sortis in excessum,* in mortem scilicet ut hic in vitam. non possunt autem apertiora esse de consilio scriptoris indicia quam quod in illo versu mortis et vitae vocabula iuxta posita deprehendimus. haec igitur mordicus tenebimus. relinquitur *non divae.* atque alterum *non* vi quodammodo aucta uti debet prae priore: *non fas exorabile erat, non divae exorabile erat,* i. e. ne divae quidem fatum exorabile erat; qui usus in pronomine sollemnis est: *curae non ipsa in morte relincunt.* hoc igitur voluit: lyra persuasit Proserpinae ut Eurydicen redderet, sed fatum puellae solvere dea non potuit: sub lege reddidit, qua lege violata fas mortis constitit. hoc non satis concinere dices cum eo quod Orpheus deinde crudelis vocatur ob ruptam legem. sed de eis quae necessitate fiant quaeque in nostra potestate sint ne Stoicos quidem acutissimos dialecticos concinne disputasse saepe Academici demonstraverunt; quo paratior illi venia sit quod dixerit fatum Eurydicae ipsum solvi non potuisse simulque eam propter nimiam coniugis cupiditatem ad inferos revocatam esse. denique habet quidem ille versus synaloepham *divae exorabile* quam constanter poeta vitat, sed more suo vitat et consuetudine quam ipse sibi constituit quamque demutare licebat, non ex lege metrica quam migrare non liceret; qualia mutare non licet, immo intellegimus poetam

cum sermonis duritie pugnantem duriorem quam solet versiculum admisisse. deinde v. 292 *sed tu crudelis*, 292
crudelis tu magis, Orpheu negari non potest *magis* ineptum esse, nam comparari Orphei actio non potuit nisi cum Eurydica; atque illud unde venerit apparet et certissimum alterum est imitationis Vergilianae non dextere institutae indicium, sed bucolicorum; nimirum expressit duorum crudelium comparationem ecl. 8, 47 *saevos Amor docuit natorum sanguine matrem commaculare manus; crudelis tu quoque, mater. crudelis mater magis an puer improbus ille? improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater.* quem locum rectius quam ille expressit poeta Ovidianus her. 20, 103 *nam saevus et ille, sit magis in natum saeva reperta parens.* —
iam concluditur locus his verbis, quae ut in libris sunt 294 sq.
ascribimus (*graves tuos* Bembini scripturam significare *gravest vos* Baehrensius vidit): *dignus amor venia, gratum si tartara nossent peccatum meminisse gravest. vos sede piorum, vos manet heroum contra manus.* atque, ut id praecipiamus, post *gravest,* sive *vos* cum codicibus sive *nos* scribendum est, apparet novam rem incohari; de qua deinceps. nunc ea verba inspiciamus quae sine distinctione apposui, sperans fore ut qui haec legant plerique statim veram sententiam agnoscant. nam in his nemo haeret: *dignus amor venia:* amore erravit Orpheus, peccatum amoris placabilem habere solet iram amantis; *dic mihi quid feci, nisi non sapienter amavi? crimine te potui demeruisse meo* (Ovid. her. 2, 27). atque sic Vergilius quoque, quem ut aperte per totum de Orpheo locum, sed ut consulto dictiones ab eo usurpatas evitet, ita hic praecipue respicit ille, pridem attulerunt, georg. 4, 487 *cum subita incautum dementia cepit amantem, ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.* sed quae est ista

condicio: *dignus amor venia, gratum si Tartara nossent?* debuit sane *veniam si Tartara nossent,* et ne sic quidem ad rectum finem perduxisset enuntiatum ab apodosi generalis sententiae incipiens. ne adsumpto quidem substantivo *gratum si Tartara nossent peccatum* haec vituperatio evitatur; nam quod venia dignum non etiam continuo gratum peccatum est. sic sentitur gradatio sententiae a veniabili ad gratum, quam ita extulit poeta: *dignus amor venia; gratum, si Tartara nossent, peccatum,* scilicet si gratum nossent, nisi ab inferis aliena esset grati notio. respicit igitur ad illud: *poenane respectus et nunc manet, Orpheus, in te?* (nam *poenane* fortasse vera est Schenkelii correctio) ac dicit non tantum iram, sed ne tristitiam quidem coniugis excitare debuisse nimium amorem Orphei. addit autem, *tantum maerorem* Eurydicae iterum respiciens, *meminisse grave est,* nimirum non mirari se tristitiam recordantis tristem rei eventum ac fortasse ne irascentis quidem.

Atque hic locus esse videtur monendi de toto consilio quod poeta in inferorum descriptione secutus sit; de quo nihil nisi turbas fecerunt commentatores, cum non animadverterent plane diversam esse illam Culicis a Vergiliana inferorum specie. atque Vergilius quidem Aeneam admissum ad inferos ducit (cf. Servius ad 6, 426) per infantium loca, per damnatorum falso crimine, per interemptorum propria manu, deinde per *lugentes campos* ubi habitant *quos durus amor crudeli tabe peredit,* Phaedra scilicet, Procris, Eriphyle, Euadne, Pasiphae, Laodamia, Caeneus, denique Dido; secuntur bello clari, Tydeus et Adrastus, oppugnatores Troiae et defensores; tum Tartari moenia et damnatorum series; tandem *devenere locos laetos — fortunatorum nemorum sedesque beatas.* hic Orpheus piique

vates, hic proavi regum Troianorum, hic denique *Dardania proles quae deinde sequetur*. haec igitur non omnia in Culice item deprehendi satis apparet. statim in limine cum Cerbero Tisiphone animas exspectat, quae apud Vergilium (v. 555) nocentes quidem custodit, sed diverso loco; statim nocentium turbam culex pererrat; v. 258 in diversa loca aufertur et ad Elysiam quidem undam (apud Vergilium Eridanus *per silvam volvitur* beatorum v. 659, cf. Knaackius quaest. Phaeth. 11) defertur, quam hinc eliminaverunt neque tamen quicquam lucrati sunt Eridanum substituentes. sed uno ore aiunt hic intrare culicem campos lugentium, v. 295 ubi *sede piorum* legitur Elysium incipere. quid, malum, isti loco cum lugentibus campis quos novit Vergilius? quippe quas illic vidimus mulieres, earum ne unam quidem culex videt, immo heroidas melioris notae, Alcestin Penelopen Eurydicen et cum Orpheo quidem, qui etiam Vergilio beatus est; nam feminas beatas omittit. secuntur heroes inde a v. 295, graeci primum, deinde romani. tandem in Tartara culici redeundum est (372). quid ergo est? simplicissimam facit et vulgarem inferorum descriptionem culex, damnatorum loca videt (v. 231—257) et beatorum (258—371), sed ne hos quidem ut beatissimos recenset propter nimiam ipsius tristitiam; vide quam misere queratur Elysium ingressurus. beatos autem a nocentibus flumen dirimit, cuius nomen non adfert. atque quemadmodum in tota rerum dispositione quam maxime a Vergilio et de industria discrepat sic in mortuorum enumeratione aperto studio nomina quaerit a Vergilio omissa, omittit ab eo usurpata; ut, nisi singula quaedam imitatorem proderent, dubitari posset num huius carminis auctor Vergilianum novisset.

Quod si Orphea et Eurydicen satis allocutus sic 295sq.

pergit: *vos sede piorum, vos manet heroum contra manus,* consentaneum est verbis quae sunt *sede piorum* non introitum ipsum in Elysium indicari, sed aut piorum a piarum sede discerni, nam heroas sane ab heroidibus segregat, nisi quod in comitatu Penelopae procos recenset et cum uxore Orphea; aut *sede piorum* addi quod modo Tartara, ne figuram perderet, nominavit. atque hoc quidem si poetae consilium erat, quod probabile mihi videtur, sequitur duplex *vos* cum librorum memoria servandum esse (cf. Catull. 64, 24 *vos ego saepe meo vos carmine compellabo*); heroides in comitatu Persephonae errant per Elysium campum, eas *contra manet,* ut e regione assident, *heroum manus;* adloquitur eas, ut Orphea 269. 292, Eurydicen 293, Danaides 245. non nego facilius haec intellegi si cum Sillegio *nos* substituas: *nos sede piorum, nos manet heroum contra manus,* scilicet me porro proficiscentem; sed faciliorem intellectum hunc poetam non affectare abunde comperimus.

296 sq. Ergo de heroibus sequitur locus, admodum ille quidem impeditus. statim quae in initio leguntur *hic et uterque Aeacides,* quae verba excipit de amoribus utriusque digressio, quomodo intellegi possint si, ut fecerunt omnes, post v. 300 finaliter interpungatur, non video; nam *et* nusquam pertinebit. sed id expedivit Silligius cuius haec est adnotatio: 'pertinet ad v. 301, ubi cum poeta *et* repetere deberet, per anacoluthon omisit.' ita nimirum omisit, ut pergeret quasi non ab *et* incepisset, de qua figura copiose disseruit Madvigius ad Cic. de fin. p. 786 sq.; et sermonem ita instituit, ut *assidet,* quod v. 301 demum infertur, ad prius nomen quod est *uterque Aeacides* non minus quam ad alterum referendum sit, verbum igitur *ἀπὸ κοινοῦ* positum ut nomina coniungat quae copulae repetitione coniungere

poeta neglexerit. in altero autem membro *hic* in
altero *hac* posuit, quoniam non ut 361 sq. (cf. 398 sq.)
communionem loci sed procedente sermone duo paria
utrimque adsidentia indicare voluit; atque sic pergit
v. 327 *huic gerit aversos proles Laertia vultus* et 334
hic et Tantaleae generamen prolis Atrides assidet, ubi
et eam notionem habet quam v. 296 habere non potest.
hic ascribam anacoluthi illius exemplum aliter con-
formatum, Aconti epistulae v. 178 *et tu continuo, certe
ego salvus ero,* quem versum nuper temptare coepe-
runt et ne Ehwaldus quidem ut libri tradunt recepit;
habet autem adverbium eodem colore insignem quo
est apud Ciceronem de leg. 1, 35 *ex his enim, quae
dixisti, Attico videtur, mihi quidem certe, ex natura
ortum esse ius;* nam ista sic Vahlenus constituit. ut
illuc redeamus, quae interposita sunt v. 297 *Peleus* 297
*namque et Telamonia virtus per secura patris laetantur
numina* idem fere sibi volunt quod v. 262 *Alcestis ab
omni inviolata vacat cura,* illa *quod Admeti fata mo-
ratast,* hi *per secura patris numina,* cf. Aetn. 9 *aurea
securi quis nescit saecula regis?* nempe qui Aeaco
patre utitur, iure suo apud inferos cura vacat. deinde
quod utriusque conubiis *Venus et virtus honorem* in- 299
iunxisse dicuntur, sane non temere ille coniunxit
Honorem et Virtutem. cf. 358 *alii pariles virtutis honore*
(item *virtutis honore* Iuvenc. 2, 355 ubi adnotavit Cu-
licis locum Huemerus), Stat. silv. 2, 3, 64 *posuere in
pectore sedem blandus honos hilarisque — virtus;* Mes-
sallae Telesini titulus C. I. L. 9, 2214 *honoris et vir-
tutis causa.* atque de Peleo nulla dubitatio: cepit 300
Thetidem amor viri fortissimi; sed de Telamone cor-
rupta haec *hunc rapuit ferit.* nam quod sequitur *ast*
potest sane ad sequens pronomen secundum Vergili
eiusque imitatorum morem adsumi; eodem versus loco

Vergilius Aen. 1, 115 *pronusque magister volvitur in caput, ast illam ter fluctus ibidem torquet agens circum.* ad Telamona igitur sive pertinet *hunc rapuit ferit* sive *ferit ast* sive, quod in Vossiano est et a Scaligero non apte defensum, *feritas,* de vero nomine non constat. Periboeae certe nomen, quod iam receptum ab omnibus ex Schraderi (emend. p. 25) et Heynii coniectura quasi suum locum obtinet, tolerari non potest, non tam propter metricam duritiem quam illustravit Lachmannus ad Lucr. p. 163, quam quod nusquam eam legimus calidius aut vehementius a Telamone amatam esse, nihil fortius quam *ἣν αὐτὸς ἐβούλετο ἔγημε Περίβοιαν τὴν Ἀλκάθου* (Xenoph. cyneg. 1, 9); atqui *rapuit* (cf. Ovid. her. 4, 64 *me tua forma capit, capta parente soror: Theseides Theseusque duas rapuere sorores*) non sine consilio poni, *amavit* opponi patet: hominem quod dea amavit, id satis est ad declarandam Veneris vim, virtutis efficaciam, honoris magnitudinem; alterum quae rapuit, ea suo nomine ostendere debet et fortitudinem viri et amoris vehementiam. ergo quodcumque nomen posueris, *Periboea Hesiona Troas,* non sufficiet sententiae; ac multo melior est Bembi coniectura *hunc rapuit serva,* quippe quae et magnum amorem ostendat et appellationis genus Nereidi ut expectamus contrarium. sed non satis ipsum servae nomen virtutem eri bellicam illustrat, satis illustraret nomen *captivae,* siquidem Hesionam ab Hercule *γέρας* Telamo accepit (Apoll. 3, 12, 7; *ἀριστεῖα* Xen. l. s.); optime conveniret *hunc rapuit praeda, ast illum Nereis amavit,* sed non satis concinunt litterae corruptae. *praeda* cf. 356. Sen. Tro. 922; Brixius ad Plaut. Mil. 458.

301 sq.— Pelea et Telamona excipiunt filii nobiles Achilles et Aiax; quorum de altero tantum hic verba fieri et Achillem v. 323 demum memorari vix credibile est

omnes criticos inde a Bembo sibi persuasisse, cum
praesertim ipse sermo utriusque hic nominati certa
signa praebeat. *adsidet hac iuvenis sociat de gloria
sortis alter in excissum,* in his vix oblitteratum est *in
excessum,* restitutum ab Italis *te* pro *de,* atque hoc
quidem necessario, quandoquidem *alter,* quo casu
positum est pronomen, compellatur a culice vel poeta;
alterum autem illum quod *sociat gloria sortis,* inter-
rogamus quicum societ, neque aliud datur responsum
quam cum sorte *iuvenis* qui prior nominatus assidet;
alter autem Aiax est, nobilitate secundus, prior Achilles.
in istis igitur verbis *adsidet hac iuvenis, sociat te gloria
sortis, alter* intellegendus est post *iuvenem* alter *iuvenis;*
quod poetam sic voluisse quo certius appareat, con-
tinuo v. 322 in eadem re eadem utitur figura: *hos erat* 322
*Aeacides vultu laetatus honores, Dardaniaeque alter
fuso quod sanguine campis* e. q. s. ubi nisi *alterum
Aeacidem* intellegas, poetae mentem non assequaris
(cf. Hauptius opusc. 3, 73); hic autem *alter* pro *vultu*
post Bembum scribunt, illic omnia tradita susque de-
que habent. plane eiusdem generis est v. 345 *Nereis* 345
ab unda signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
i. e. pars Nereidum. statim igitur ab Achillis men-
tione ad Aiacem trahitur; consociati sunt *in excessum*
(v. ad 288), nam uterque paucorum dierum spatio
mortui sunt. ipsa autem gloria Aiacis bene factum
refert (v. ad 37) maximum illud, cum ignem a navibus
defendit. cuius relationem repetiturus et exornaturus
(304—321) culex eodem verbo utitur: *o quis non referat* 304
talis divortia belli; nam de Italorum emendatione
(*tali — bellis* antiquitus traditum) dubitari non posse
videtur, etiamsi facilius sit divortiis (*viae in diversa
tendentes* scholion Aen. 9, 377) substituere discrimina
quam apto exemplo vocabuli audacter positi usum

comprobare. similius nusquam positum novi quam a Grattio in cynegeticis 345 *quin et Mavortia bello vulnera et errantes per tot divertia morbos causasque affectusque canum tua [cura] tuerist.*

Homerum num huic quoque loco ipsum componendo poeta adhibuerit non tam certo dici potest quam
in inferorum descriptione; nam quod statim in initio
306 haec *cum manaret sanguine tellus* in ipsa navium oppugnatione graece leguntur *ῥέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα* (O 715), in usitata locutione (Catull. 64, 344 *cum Phrygii Teucro manabunt sanguine* campi, Stat. Ach. 1, 86) nihil probat (cf. v. 28); neque plus in alteram partem valet quod nec Sigea nec Rhoetea litora Homerica sunt neque Ida faces praebens. atque legisse illum et
307 novisse Homeri carmen manifestum est. v. 307 *Sigeaque praeter* confirmat etiam codicum corruptela v. 319, et videtur intellegi posse *παρὰ θῖνα θαλάσσης*. cf. 390 ubi *rivum praeter aquae viridi sub fronde latentem conformare locum capit* non recte dictum videtur et fortasse uni Bembino ascribendus error, cum vetustiores plerique *propter* praebeant (cf. Verg. ecl. 8, 87). hic editores Heinsium secuti substituere *propter* quo *Sigea litora* subiectum fieret enuntiati, *videre* Vossiani praedicatum, cum corruptum verbum tradant integri codices *vidi.* sed nec duplex correctio probabilis est nec sententiae conformatio, qua scilicet viri primum videre dicantur, tum tellus et flumina manare, deinde litora videre. temptavi *vi daret in classes,* sed quaesitius fortasse nec tamen aptius hoc erit quam quod Baehrensius ex coniectura posuit *truderet in classes.* facit hoc Hector cum aliis locis tum O 346 sq. *iram* autem Hectoris et *mentem inimicam* nusquam vehementiorem deprehendimus quam O 603 sq. (M 462). ad *ignes* vocabulum v. 310 ultimo loco positum et

graviter sonans adiungitur sententia quam sic Bembus conformavit partim aliorum Italorum coniecturas secutus: *ipsa iugis namque Ida, potens feritatis et ipsa,* 311 sq. *Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis*, alii aliter, licentius, elegantius, plerique cum Heinsio *frondentibus* pro *feritatis et* ponentes, cuius generis arbitrarias mutationes non curamus, probabilius nemo; non veram esse Bembi coniecturam admonuit me observatio ad v. 66 de tertio trochaeo facta. atque traditum hoc habemus: *ipsa vagis namque Ida patens feritatis et ipsa daque faces altrix cupidus praebebat alumnus,* quibus in verbis si primum hoc tenemus, ante *patens* interpungi non posse, apparet nullo remedio egere istaec *ipsa vagis namque Ida patens:* mons ceteroquin asper et invius patet vagantibus et taedarum copiam colligentibus *alumnis* (nam haec necessaria Italorum correctio): *ipsa vagis namque Ida patens — faces altrix — praebebat alumnis*. iam pendet *feritatis* et suspendi non potest nisi a vocabulorum corruptorum *daque* et *cupidus* altero utro. atque in Vossiano quod pro *daque* scriptum est *Ida* (in Helmstadiensi *datque*) tam aptam efficit locutionem tamque facilem corruptelae explicatum reddit (cf. v. 155 et Stat. Theb. 3, 454 ubi legendum est *dubium cui pronus Apollo pectora Cirrhaea satiarit largius unda*, traditum *oraque* non *pectora*), ut eius loco alia quae cogitari possint, veluti *signa,* ponere non audeam et in incerto relinquam utrum recte coniecerit vir doctus an variam lectionem praesto habuerit qualem v. 332. qua de re dicam ad v. 318. relinquitur *cupidus*, quod cum *alumnis* coniungere iam non licet, nam Troianos bellatores et exitium hostibus parantes feritatis cupidos dicere ineptum foret. ergo *faces feritatis cupidas* dixit, et apte dixit cupidas saevitiae eas quae nisi vim flammae recepissent nec

saevire possent nec nocere. cf. Stat. Ach. 1, 435 *pigris addunt mucronibus iras.* neque tamen necesse est corrigi *et ipsas,* nam ipsam Idam cum suis conspirare in Graecorum exitium gravi sermonis figura pronuntiare poeta voluit. totum negotium Homero ignotum (O 718 *οἴσετε πῦρ*) non inepte adiecit vel Culicis vel inter-
314 cedens aliquis poeta. v. 314 inde a Bembo nemo praeter Vossium et Ellisium (l. s. p. 282) intellegere voluit quid esset *flamma lacrimante,* ille coniecit *superante,* Scaliger non recta ratione defendit lacrimantem, iam tamquam certum ac verum obtinet *flamma flagrante;* Vossius quod recte vertit *in tröpfelnder Flamme,* id 'audacius dictum videbatur' Silligio; quasi vero non lacrimentur flagrantes piceae taedae aut non proprium sit resinae vocabulum Graecis et
315 Latinis lacrimae. — cum igne adgredientibus Aiax *erat oppositus contra obiectoque — dabat clipeo certamina,* ubi qua necessitate vel Schraderus scripserit vel post Silligium omnes receperint *conto* pro *contra* non video, neque enim aut respuit latinitas *oppositum contra,* immo amat talia: *retro redire, subter subdere, contra* vel *obvium obstare, obsistere, se offerre,* aut probabile est conto pugnantem Aiacem hic fecisse poetam, deinde (320) ferro faces depellentem. apud Homerum quidem priore loco (O 677) *νώμα ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσιν,* deinde vero (730) *ἔγχεϊ αἰεὶ Τρῶας ἄμυνε νεῶν, ὅστις φέροι ἀκάματον πῦρ* (742 sq.), sed, si ab uno eodemque diversae res venerunt, certe procedente pugna, hic *clipeus obiectus* et *ferrum* unum illum pugnandi modum indicant.
318 sq. intercedunt autem duo versiculi 318. 319, a quibus equidem manum abstineo. apparet enim archetypo nostrorum codicum vim aliquam nocuisse et gravius quidem quam factum vidimus v. 27 et 281, licet eodem

remedio usus sit librarius ille quo in versibus istis sarciendis, quippe qui ex v. 307 accessierit illa *Sigeaque praeter*. abstineo duabus de causis. primum attrectare non audeo v. 319 *tegminibus telisque* i. e. armis tegentibus et nocentibus (cf. e. g. Livius 1, 43, 2 *arma his imperata galea clipeum ocreae lorica, ut tegumenta corporis essent; tela in hostem hastaque et gladius*); quodsi Bembum potissimum secuti edunt *ignibus hic taedisque asper, [si classibus Argos] eriperet reditus,* nihil vidi licentius, non in supplemento quod non vitupero, sed in vocabulorum mutatione; defit sane *alter* qui respondeat alteri v. 320, sed plura desunt et consentaneum est maiora quam illi putabant ruinam haec turbasse et deminuisse. alterum hoc est: v. 318 Bembini et reliquorum quibus confidere licet codicum scriptura *(fluminibus veluti fragor aedibus in se)* ad talem sententiae speciem perducere videtur: *fulminibus veluti fragor est tendentibus in se*; sed quam Vossianus scripturam exhibet *fragor est a turbine nise,* ea interpolationis suspicionem non movet; atque quod nefarie interpolatum hunc librum esse sescenti loci docent, eius tamen generis interpolatio est, ut sensum aliquem adulterina lectio praestet, velut statim v. 325 falsarius scripsit *pars huic pars destinat* 325
illi arma; attamen idem locus insignis est una certe scriptura, cuius vim et veritatem infirmare nemo valebit, *ranolea* Charybdis v. 332, quam *Zanclaeam* esse 332
Schraderus vidit (emend. p. 26 sq., conferens Ovidi fast. 4, 499 et trist. 5, 2, 73); qua de scriptura nec Naekius recte iudicavit (p. 291) neque qui graviores Vossiani scripturas diligenter congessit Hildebrandtius (Vergils Culex 1887 p. 42). illic *metuenda Charybdis* in Bembino est ceterisque, mutandi nulla causa erat, scripturam corruptam ut est librarius interpolator po-

suit. simile quid in eodem versuum circuitu accidit
334 v. 334, ubi quod praeclara emendatione Ribbeckius restituit *generamen prolis,* sic reddunt codices: *gener amplis* i. e. *generam̄ ꝓlis* (v. supra p. 20; Hildebrandtius p. 41), Vossianus sic: *generamen probis,* non recte, sane non interpolate. eodem referendae sunt aliae in hac parte scripturae emendatae vel Bembino emendatiores, in quibus sane sunt quae coniectura possint natae esse; vide v. 312 *ida* 330 *ipse* 340 *quisquam* 343 *argoa petens* 355 *egeaque* 362 *moritura* 370 *scipiadas* 378 *mali nec* 399 *pudibunda* et si quae praeterea sunt interpolationis suspicioni non obnoxia. quid igitur est? habemusne librum optima stirpe oriundum sed foede interpolatum, qui 'genus ingenio improbet'? id si esset, malum factum esset quod nusquam fere eius libri rationem habuimus. sed non deliquimus. nusquam enim nisi circa hos ipsos quos tractamus versus quicquam boni in lectione Vossiano propria inest; neque ulla datur quaestionis solutio nisi haec: venit Vossianus ex eodem libro ex quo Bembinus et reliqui sine exceptione omnes et integri et, ut ille est, interpolati; sed in Vossiani exemplari aliquis ad ultimi carminis paucos versus variam lectionem adnotavit ex codicis vetusti fragmento; qui codex eiusdem stirpis erat cuius Bembinus, ut ostendunt hi ipsi versus 318. 319, sed quaedam ut fit integriora servarat. etenim quamvis integra ceterum sit Bembini lectio, v. 332 corruptum *ranolea* ex coniectura mutatum esse in *metuenda* negari non potest. hoc si ita est, v. 318, ubi Vossiani scriptura *est a turbine nise* interpolationis speciem non praebet et *a turbine* a sensu loci non abhorret, sed cum *aedibus* Bembini nisi violenter conciliari non potest, nimis incerto nititur fundamento siquis ad pristinam scripturam ipsam eniti studet. sed ne quis putet quic-

quam necessitatis habere quae vel veteres Itali vel novelli temptaverint, talem loci speciem exempli causa proponam qualem codicum memoria indicare mihi videatur. primum enim *fluminibus* cur fulminibus flaminibusve mutetur in re incerta nulla causa est; annon ad flumina quoque pertinere potest pugnantium cum clamore virorum comparatio? lege quod ad illam carminis partem componendam Culicis poetam legisse probabile est, N 136 *ἦρχε δ'ἄρ' Ἕκτωρ ἄντικρυς μεμαώς, ὀλοοίτροχος ὣς ἀπὸ πέτρης, ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ, ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης* e. q. s., quam imaginem expressit Theocritus 22, 49; neque enim opus est aliorum poetarum locos congerere, velut Lucreti 1, 281 sq., 6, 143 vel Stati silv. 1, 3, 20 sq., Ach. 2, 390. 431 (104. 145), Theb. 3, 671 sq.; cui imagini apte convenit *turbo.* praeterea si tenemus Hectorem nominari debuisse (nam intercedit inter 317 et 320 *acer uterque*), ad talem fere perducimur loci speciem: *acer uterque, fluminibus veluti fragor est a turbine missae [de scopulo molis; flammas iaculabat ut illis] tegminibus telisque super[ne arcentibus Hector] eriperet reditus; alter Vulcania ferro vulnera protectus depellere navibus instat.*

Versum 322 emendavit Hauptius (opusc. 3, 73) et 322
tempus verbi *(laetatus erat)* ab eo quod v. 325 sequitur
praesenti *fremunt* pendere exposuit. *Aeacides* hic non
potest non Aiacem significare, *alter* Aeacides v. 323
Achillem, v. s. ad v. 301. deinde v. 324 ita emendavit
Bembus, ut nec addi littera possit nec detrahi. v. 325 325
letat verbum Ovidianum est (cf. Birtius ad hist. hex.
lat. 41). v. 326 *firma* mihi aptius visum est quam 326
alma. — idem artificium, quo in narrandis Aiacis et
Achillis fatis utitur, statim Vlixi adhibet, quem ut

illos nunc laetantem facit bene factorum memoria,
329 nunc malorum inhorrescentem. v. 329 *Pallade laetatur*
non potest, ubi singula recensentur, ad Palladis auxi-
lium referri, sed audacter et obscure pro Palladio ab-
lato deae nomen positum est (cf. Heynius), quod item
fecit, sed nec audacter neque obscure Ovidius met.
13, 98 *conferat his Ithacus Rhesum imbellemque Dolona
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum,* quo
loco, qui est in controversia Aiacis et Vlixis, sane du-
bites de causa tantae similitudinis inter duos poetas
intercedentis. cf. fast. 6, 424. trist. 3, 1, 29 (Poll. 9, 76
τὸ νόμισμα Εὔβουλος — καλεῖ Παλλάδας). deinde in-
tolerabilis soloecismus *rursusque tremescit iam Ciconas
iamque horret Laestrygonas* facili interpunctionis reme-
330 dio sanari poterat. v. 330 *lestrigones ipse* Vossianus pro-
nomen praebat non inepte: ipse atrox invenit quos hor-
reret (Manil. 2, 559 *Caprumque fugit metuendus et ipse*);
quod cum possit coniectura inventum esse, potest ad
ea pertinere quae ad v. 318 exposuimus. ubi etiam de
v. 332 et 334 emendatis a Schradero et Ribbeckio
332 dictum est. ut *Zanclaea Charybdis* apud Ovidium
redit, *Aetnaeus Cyclops* apud Vergilium Aen. 11, 263
336 (cf. Thilo praef. p. VII). v. 336 bellam deprehendimus
doctrinae ostentationem; idem scilicet qui v. 30 *Erich-
thonias arces* Athenas nominavit, hic Troiam ab Erich-
thonio Dardani filio, quem ex Iliadis *Υ* 319 omnes
norunt, adiectivum praeter hunc nemo. ac statim
repetit v. 344.

Decet culicis tristitiam quod heroes graecos non
dimittit antequam naufragium in classis reditu factum
enarraverit; qua in re ei accidit ut Hellespontiacas
undas (338) cum Euboicis (355) commisceat. locus
339 non multa eget adnotatione. *illa copia* v. 339 sic non
usitatum poetis (Silligius attulit Aen. 2, 564, ubi v. Serv.;

cf. 11, 834) nec scriptoribus omnibus (cf. Neuius 1, 454), sed in vita communi frequenter usurpatum, ut Pompei epistulae docent Ciceronis ad Atticum litteris 8, 12 adiectae; quod cum semel posuerit, facit ut solet ponitque iterum v. 353 *modo laeta copia.* v. 340 cum in 340
initio integri codices tradant *ne que,* excerpta Parisina, quantumvis inmutatum locum exhibeant *(cur aliquis — dives tendit — caelum super?),* pronomen tamen testantur; quodsi Vossianus praebet *ne quisquam,* hoc potest verum esse (v. ad v. 318). *inevectus* v. ad v. 101 341
et de toto loco ad. v. 84; cf. catal. 3, 2 *quem valido subnixum gloria regno altius et caeli sedibus extulerat.* sequitur *omne propinquo frangitur invidiae telo decus* (*decus* excerpta praebent) i. e. omne decus propinquam habet invidiam eiusque telis invaditur, sententia non aptissima, cum non *omne* decus, sed summa quaeque indicaverit, ut potius tritam illam expectemus sententiam: *metuens caelo Iuppiter alto vicina petit; summisque negatum stare diu; cur plus ardua casibus patetis?* cf. Stat. Ach. 1, 145 *nam superant tua vota modum placandaque multum invidia est.* inductus ille videtur Lucreti loco 5, 1125 *et tamen e summo, quasi fulmen, deicit ictos invidia interdum contemptim in Tartara taetra,* deinde 1131 *invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque.* ergo aptius legatur *omne propinquom,* scilicet caelo. v. 343 rursus quod 343
Vossianus habet leniter corruptum et iam a Scaligero emendatum, assensum nobis extorquet. de v. 345 vide 345
ad 301. v. 347 philosophatur ut v. 193. v. 351 *minatur* 347
Heynius correxit recteque ad undam rettulit. v. 355 351
egeaque Vossianus pro *ereaque* exhibet (v. s.); Scaligerus 355
primo coniecerat *Gyraea* (schol. Lycophr. 390), sed et ipse vidit et Heynius quoque exposuit quam docte

dictum esset *Aegaeaque litora* et apte adiectum *Euboicis cautibus,* cf. Strab. p. 386 de N 21 *Αἰγὰς βέλτιον δέχεσθαι τὰς ἐν Εὐβοίᾳ ἀφ' ὧν εἰκὸς καὶ τὸ πέλαγος Αἰγαῖον λεχθῆναι* (cf. p. 405), Eurip. Hel. 1128 *πέτραις Καφηρίσιν ἐμβαλὼν Αἰγαίαις τ' ἐνάλοισιν ἀκταῖς.* — Aen. 11, 260 *Euboicae cautes ultorque Caphereus,* v. s. ad v. 332. — de eodem Vossiano gravior quaestio
357 movetur in v. 357. qui versus ut in Bembino reliquisque legitur *(cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae) fluctuat omnis in aequoreo naufragia luctu* (i. e. *fluctu*) facili remedio restitui non potest; nam *fluctuat in fluctu* pessime dictum est et *navifrago,* quod Scaliger coniecit, Naekius probavit (p. 292), Hauptius recepit, ferri non potest, ut demonstravit Seitzius de adiectivis poet. lat. compositis p. 9 sq.; quod si quis probabiliora vocabula invenerit, nihilo magis tolerari poterit versus una post quartam arsin caesura incisus, cuius generis versum Culex cum multis aliis carminibus nullum habet, cf. Guilelmus Meyerus in relat. acad. Bavar. 1884 p. 1076. iam Vossianus hunc exhibet versum: *omnis in aequoreo fluitat iam naufraga fluctu.* qui cum optime incipiat a verbis prius hemistichium apte reddentibus, facile nobis in hac praesertim carminis parte genuinae originis specie imponat; sed prohibet otiosum illud *iam* (ut recte observavit Seitzius l. s. 10, 1), quod in testis ambigua fide poetae obtrudere non sustineo. nihil relinquitur nisi ut dicamus aptam et latino poeta dignam talem esse versus speciem: *omnis in aequoreo iactatur naufrago fluctu,* sed certum in re incerta nihil pronuntiari posse.

357 sq. Denique Romanae gentis heroes conspicit culex Fabios Decios Horatios Camillum Curtium Scaevolam Curium Flaminium aliquem Scipiones, quos excepto scilicet Flaminio Vergilius habet (6, 817 sq. cf. georg.

2, 169) praeter Horatios Curtium Scaevolam Curium
(sed habet Fabricium), et Decios quidem in initio post
reges et Brutum, Fabios in fine, ex quibus cunctatorem
nominat, ille trecentos illos in animo habere videtur.
sed quam facilis fuerit talium nominum electio, alio-
rum poetarum loci docere possunt velut Properti
(3, 3, 7 sq.: 11, 59 sq.) Manili (1, 777 sq.) et curiosius
eligentis Horati (c. 1, 12), vel Ciceronis (in Pis. 58
*o stultos Camillos Curios Fabricios Calatinos Scipiones
Marcellos Maximos*), Valeri Maximi, aliorum. neque
dubitatio est nisi forte de Camillo, cuius nomen certa 362
emendatione restituit Bembus (cf. Verg. 6, 825, georg.
2, 169, Manil. 1, 784), cum *melli* integri codices habe-
ant, *metelli* Vossianus, quo probabilius fiat eodem
versu *moritura* coniecturae docti hominis deberi. ni-
mirum de quo uno cogitari potest L. Caecilius Metellus
ille, qui primus elephantos ex primo Punico bello
duxit in triumpho, de quo ex filii laudatione refert
Plinius 7, 139 sq., eum vel *fama vetus* inter Decios
Curtiumque excludit. idem de *Gracchia* virtute non 361
latina dicendum quam leniter corruptae *Horatiae* (cf.
Propert. 3, 3, 7 Manil. 1, 778) interpolator substituit. 367
Curium quod *clarae socium virtutis* appellat, de Fabricio
et Coruncanio audientem admonet (cf. Cic. Lael. 18).
sed haeremus in Flaminio v. 368, neque enim ad 368
C. Flaminium, qui ad Trasumennum lacum interfectus
est, pertinere ista possunt *devota dedit qui corpora flam-
mis;* Caecilium eundem substituendum esse Flaminio
a multis recepta coniectura est non admodum probabilis
in tam impropria locutione de Palladio flammis erepto;
sed aliquo modo concinunt quae Cicero pro Scauro
habet 23, 47 quaeque Ovidius fast. 6, 452. certe
praecipuo illum suum Flaminium quisquis fuit honore
poeta extulit, siquidem ad eum adiunxit versum 369, 369

quem suo loco moveri et alio reponi, ut scilicet ad omnes pertineat, nulla causa est.

Ad singulorum versuum lectionem quod attinet,
358 v. 358 *sident* corruptum esse ex eo quod in Vossiano legitur *sidunt* non credo. aptum esset *sedent,* sed ne illud quidem sequentibus his verbis *mediisque siti sunt sedibus omnes;* ergo ab Heinsio recepi *se dant* (cf.
364 Marklandus ad Stat. silv. 1, 4, 49). v. 364 *bellis* corruptum esse apparet, cum *gurges in unda* nihil habeat quod offendat vel obscurum sit. ego *pallens* reposui verbum inferis proprium (333 *pallentesque lacus,* Lygdamus 5, 21 *parcite pallentes undas quicumque tenetis,* Sen. Oed. 582 *subito dehiscit terra et immenso sinu laxata patuit, ipse torpentes lacus vidi inter umbras, ipse pallentes deos,* cf. Broukhusius ad Tib. 3, 1, 28) non certa coniectura, sed facili et apta, nam dis manibus Curtius se devovit (Liv. 7, 6, 4), ad quos terrae
366 hiatus pertinebat. v. 366 potentia regis *legitime* i. e. iure cessit virtuti omni vi ac potentia destitutae, legitimum scilicet in regiam potestatem imperium virtus exercuit. qui vocabuli usus licet, si lexicis fides, exemplis careat, tam apte quadrat ad ipsam rem et vocabuli naturam, ut de veritate lectionis nullus dubitem. sensu idem Catulli illud *iure igitur vincemur.* v. 370
370 sq. *Scipiadas* Vossianus restituit. *rapidis* emendare non potui, eleganter Hauptius *vepretis* monente de vera versus sententia Naekio p. 294.

V. 372 redeundum sibi in Tartara esse culex queritur, qua de re supra diximus. *maxime Minos —*
374 sq. *discernis* v. 374 sq. recte emendasse videtur Schraderus, sed *vincula* meliorem sensum praebent quam *saecula,* quod vocabulum item ex illius coniectura vulgo receperunt. ut non ipsa sedes pia est, sed piorum ergo pia (v. 39, cf. epic. Drusi 329 *pio — in arvo*), sic non ipsa

vincula scelerata, sed sceleratorum; *sedes scelerata*
vocatur; cf. Festus p. 333 et Varro de ling. lat. 5, 159
cum Livio 1, 48, 7. ea igitur vincula a piorum sede se-
gregat, id enim est *pia sede discernit.* G. Fabricium
edidisse *qua* Heynius refert; atque mire positum est *quo.*
v. 379 *sed tolerabilibus curis haec immemor audis* optime 379
traditum habemus, nisi quod *tolerabilius* corrigendum
erat librariis; atque defendit illud Scaliger, sed argutatur.
hoc dicit culex: audis haec curis quidem ut video
anxius (nimirum inquietus est pastoris somnus, et
sollicitum poeta vocat v. 385 etiam dormientem), sed
non intolerabilibus ut ego vexatus (*tristitia atque animi*
intoleranda anxitudine Pacuv. 164 R.), nec retinebis
memoria, et tamen — sed corrupta secuntur quaeque
extricare non valeam. quaecumque ante Hauptium 380
temptaverunt (*tu tamen in vanos dimittes somnia ventos*
Scaliger, *et tamen usque vagis dimittes somnia ventis*
Silligius) irrita sunt, nam post ista *immemor audis*
sensu caret *tamen — dimittes.* Hauptii autem con-
iectura *et tamen etsi audis* neque quicquam addit sen-
tentiae iam enuntiatae verbis *immemor audis* et syna-
loepham ab hoc poeta vitatam habet, ut exposuit
Birtius de halieut. 50. qui quod coniecit et Thiloni
probavit *et lamenta vagis dimittes omnia ventis* habet
quidem quod assensionem eliciat et si emendatio est
facilis est, sed sentio *dimittes omnia ventis* fortius
dictum esse quam *lamenta omnia.* quod his substituam
non habeo, sed primum video manifesto corruptum
esse unum *uadis,* deinde vestigia quae ad pristinum
sensum perducere possint cum quaero, unum *tamen*
invenio, quod tantum ad ista *immemor audis* referri
potest. atque probabilitatis omnes numeros expleat
talis sententia: *et, tamen ut* memineris, in memoriam
revoces, redeant, subeant, *dimittes somnia ventis;* nimi-

rum haec quae dormienti dico, vigilanti, si tamen recordabitur, somnia erunt. sed vocabulum quod in *uadis* abiisse probabile sit non invenio. Vossianus praebet *dimittere*, quod in hac carminis parte memorari
383 debet, licet nihil prosit. v. 383 *rapiantur* Bembi emendatio necessaria est, versum transponi cum Scaligero (qui eidem adiunxit etiam v. 258—260) nec necessarium neque ullo modo commendabile.

Recedit culex *numquam rediturus* plane ut Patroclus Ψ 75 *οὐ γὰρ ἔτ' αὖτις νίσσομαι ἐξ Ἀΐδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε,* sed de iustis reddendis nullo verbo monet, ut vidimus. tamen ad funeris officium statim pastor accedit et finem habet carmen in tumuli extruendi descriptione satis bella quaeque a Moreti simplicitate et suavitate non prorsus abhorreat. v. 385
385 *inertia vitae,* ut dixit Marklandus ad Stat. silv. 1, 4, 57, somnus est, *lucis requies* secundum Senecam (Herc. f.
391 1073). de v. 390 vide ad 307, de verbo quod est *capit* 391 ad v. 244; *incipit* ne scriberet metrum prohibuit
392 (394 *inceptum*). v. 392 quid sibi velit *ferri capulum,* quo sane nemo terram fodit, assequi non possum; expectamus *palam* (cf. Colum. 10, 45), nisi forte instrumentum aliquod pastoriciae sive domesticae supellectilis nominatum erat quod *ferri in usum* repetierit, velut trulla. ergo ne sequenti quidem versu certum est Bembi supplementum *ut,* quod Birtius l. s. propter synaloepham improbavit; *fodit et* non admodum probabile est inter verba quae sunt *repetivit* et *cumulavit.*
391sq. hic igitur est operis progressus: primum *locum conformare* incipit et quidem *in orbem destinat* i. e. describit, metatur; cf. Manil. 2, 773 *conditor et vacuos muris circumdare colles destinat ante manus quam temptet scindere fossas;* tum terram effodit congestamque cumulat atque aggere circumducto orbem praeforma-

tum perficit. deinde tumulum consertis lapidibus ex
marmore dedolatis cingit. denique florum variorum
copiam ei inserit et in fronte titulum collocat. in-
ceptum laborem *memori cura* peragit (394) quo minus
culicis convicio (379 *haec immemor audis*) dignus vi-
deatur, lapides caedit *assiduae curae memor* (398), nam
haec maxime laboriosa pars operis et longiusculo tem-
poris spatio peragenda. florum catalogus v. 398—409 398sq.
habet nomina curiosius electa. fert regio acanthon
et rosas (cuius societatis pulcritudinem norunt qui
terram Paestanam visitaverunt), violarum omne genus,
i. e. purpureas luteas albas, myrtum quam integri co- 400
dices *Sparticam* appellant, Vossianus *Parthicam*; atque
Parthicam Scaliger ex Apollodori Parthicis attulit
(Athen. 15, 682 c μυρσίνης γένη ποικίλα), Spartanam
vel ex Catullo novimus (64, 89 *quales Eurotae pro-
gignunt flumina myrtus*, ubi commentatores alia af-
ferunt); quam quod *Sparticam* dixit pro Spartana
Spartiatica Spartiaca, fecit audacter quidem sed ex
multorum nominum analogia. accedunt hyacinthus,
crocus, laurus; v. 402 *rhododaphne* nominatur, res satis 402
memorabilis, siquidem in litteris illa neque graecis
neque latinis ante Claudium apparet (Scribon. Larg.
compos. 55), deinde Plinio et Dioscoridi notissima est,
cf. Hehnius p. 361, qui sub finem liberae rei publicae
eam in Graeciam translatam esse conicit, inde in Ita-
liam. sane sic quoque factum esse potest, ut planta
in Asia celebris a poeta graeco, unde Culex pendeat,
ante illud tempus memorata sit vel etiam a latino
aevi Augustei. deinde lilia et *roris non avia cura* 403
marini. sic significare potest rorem marinum quem
non in aviis regionibus coli oporteat, cf. Nicander frg.
74, 57 (Athen. 684 b) ὅσσα τε κοίλοις ἄσπορα ναιομέ-
νοισι τόποις ἀνεθρέψατο λειμὼν κάλλεα. sed et ros

marinus sponte nascitur neque in aviis regionibus quicquam colitur. non ineptum foret *non avia tura,* cf. de rore marino Plin. 24, 99 *foliis odor turis*, nec obstaret in hoc poeta quod sequitur *herbaque turis opes priscis imitata Sabina; avius* autem longinquum et diversum significat sine notione aberrantis a via e. g. Statio silv. 4, 5, 29 *tene in remotis Syrtibus avia Leptis creavit?* 5, 2, 2 *nec longa morast aut avia tellus,* Theb. 1, 159 *quasque procul terras obliquo sidere tangit avius* aliter quam *procul avius erras* dixerat Lucretius. Heinsius quod coniecit *roris non avia turba marini* non displicet nisi quod nihil habet ad rorem marinum
404 potissimum quod pertinere videatur. de *herba Sabina* Plinius 24, 102 *herba Sabina — a multis in suffitus pro ture adsumitur,* Catonis de agri cult. 70, 1 *turis grana tria, herbae Sabinae plantas tres,* ne quis rursus *Sabinis* scribere animum inducat; quod fecerunt post Italos plerique, unus inter recentiores Baehrensius ve-
405 ram scripturam tenuit. *chrysantes* pro chryanthemo invenitur apud Nicandrum (v. 69 *χρυσανθὲς ἀμέργων*) unde Scaliger hic restituit; nec probabile est in raro floris nomine veteris vulgarisve in transferendis graecis nominibus consuetudinis exemplum deprehendi, recepissemque illud, nisi viderem etiam *χρύσανθος* formari posse, cf. *χάλκανθος οἰνάνθη ἄνθη,* et apud Plinium in codicibus esse 21, 168 *heliochrysum alii chrysanthon vocant,* ubi sane ex Dioscoride *chrysanthemon*
406 substituerunt. v. 406 *bocchum* florem fruticemve cognoscimus a Mauro rege nominatum, quem sive Iugurthinum illum sive, quod multo probabilius est, iuniorem regem Caesareensem intellegimus, haec verba *Libyae regis memor* plane ostendunt carmen scriptum esse post a. u. 721, quo alter Bocchus mortuus est. quo argumento uteremur contra carminis originem Ver-

gilianam, si externis argumentis opus esset. *bumastum* 407 quod virentem appellat, fruticem non florem intellegi indicat, apte post hederam; non recte igitur Scaliger commendabat Bembi coniecturam *buphthalmus*. in eodem versu negotium facit *semper florida pinus*. Vergilius georg. 4, 112 et 141 pinum habet apibus gratissimam, Columella 9, 4, 2 inter alios frutices exiguos item apibus accommodatos recenset thymum, rorem marinum, *semper virentem pinum* et minorem ilicem, cf. 5, 6 *casiae pini rosmarinus* etc., Ovid. art. 3, 692. multa ad hos aliosque locos viri doctissimi disputaverunt et aut *tinum* substituere volebant (cf. Serv. georg. 4, 141) aut de pini genere ambiguas sententias proferebant. Hehnius (p. 261) hanc quaestionem non tetigit. atque *tinus* quidem quo iure *semper florida* appelletur non video. immo pinum illam Romanis notissimam vel hortensem vel in silvis fruticantem hic audimus *semper floridam* appellari ac discimus pinum illam esse aliquem fruticem per multos anni menses floribus ornatam; quod non minus necessario sequitur ex apium tanta illius plantae cupiditate. duo in isto catalogo versus restant expediendi, alter de rosa 399 quem sic corruptum 399 praebet Bembinus *et rosa purpureum crescent rubibunda terrorem* accedentibus reliquis nisi quod ex nonnullis *terorem* vel *terrore* enotatur, quae scripturae non minus ad *terrorem* illud redeunt quam quod in Cantabrigiensi legitur *per orbem;* atque si quis emendare instituat *terrorem,* dubito an non possit meliorem excogitare coniecturam quam haec est: *purpureum crescens* (sic Itali) *per orbem;* quam non deteriorem in hoc poeta facit similis versuum 391 et 396 exitus. in Bembino quod legitur *rubibunda* solus habet, *rubicunda* reliqui. operae pretium est adferre Prisciani locum 1 p. 137 qui enumerat a verbis formata *ludibundus*

furibundus moribundus et addit: *excipitur alternitatis causa rubicundus, quod in paenultima syllaba pro b c habuit, ne sit absonum, si rubibundus dicamus.* sed ne *rubicunda* quidem rosa optime simul *purpurea* vocatur. iam arcessendus est Vossianus, qui versum sic scriptum exhibet: *nec rosa purpureum crescent pudibunda ruborem.* in qua scriptura primum observandum est interpolationem, si quae est, non ad ipsum librarium pertinere, nam corruptus hic quoque versus est; deinde *rubibunda* Bembini scriptura ex Vossiani *pudibunda* etiam facilius derivatur quam ex reliquorum correctura quae iam esse videtur *rubicunda.* Colum. 10, 102 *rosa plena pudoris,* cf. 260. eo igitur inclinat animus, ut hanc quoque Vossiani scripturam in earum numerum referam quas in his ultimis centum versibus ex veteris codicis fragmento ad Vossiani exemplar ascriptas fuisse coniecimus. atque concedendum est hanc formam versus fortasse ipsi poetae ascribendam esse: *et rosa purpureum crescens pudibunda ruborem;* nam adiectivum secum ducit nomen quod est *ruborem* et ablativum casum substitui non est necesse. mirabile in hac scriptura accidit quod *purpureus rubor* locutio est Ovidiana: trist. 4, 3, 70 *purpureus — in ore rubor* (in Amoribus *purpureus rubor,* cf. Birtius l. s. p. 49); Sen. Phaed. 376 *non ora tinguens nitida purpureus*
400 *rubor.* sed haec dubitationi obnoxia. sequentem versum ut in transcursu perstringamus, nemo in dubium vocet *omne genus, hic est* propter arsin in incisione auctam, cum praecesserit 395 *congestum cumulavit opus atque* (cf. 124 *aeriae platani, inter quas impia lotos*); sed synaloepha *et violae omne genus,* durissima in vocabulo anapaestico, ab hoc poeta aliena est, verborum autem transpositio similis facta versu subsequenti 402 *decus surgens.* frequentatum *genus omne* ut *omne genus*

Lucretio (1, 163; 2, 1089 et quater in quinto; 2, 821
omne genus perfusa coloribus in genere omni) Vergilio
(georg. 2, 20; 3, 480 Aen. 8, 628) aliis, cf. Ovid. fast. 4, 94
et 99. alter quem expediendum dixi restat versus 408 408
*cui gloria formae igne Cupidineo proprios exarsit in
artus,* in quo non intellegitur qui vel gloria vel gratia
formae in artus, i. e. pulcritudo in pulcritudinem ex-
ardere possit; nam *gloria formae* in hac enuntiati
specie significat formam gloriosam. mendum sustulisse
mihi videor leni correctura: *qui, gloria formae, igne
Cupidineo proprios exarsit in artus,* cuius figurae exem-
pla si afferri opus est, cf. Gratti cyn. 256 *thoes com-
missos, clarissima fama, leones — domuere.* in fronte 413sq
tumuli qui collocatur titulus in vita Vergili Donati et
Phocae repetitur nulla lectionis varietate. coniungitur
non *tale merenti* sed *tibi merenti reddit tale officium.*
itaque nos quoque Culicem, postquam merenti ut
putamus debita iusta fecimus, valere iubeamus.

COPA

Copa Surisca, caput graeca redimita mitella,
crispum sub crotalo docta movere latus,
ebria famosa saltat lasciva taberna,
ad cubitum raucos excutiens calamos.
quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse
quam potius bibulo decubuisse toro?
sunt topia et kalybae, cyathi, rosa, tibia, chordae,
et triclia umbrosis frigida harundinibus.
en et, Maenalio quae garrit dulce sub antro,
rustica pastoris fistula more sonat.
est et vappa, cado nuper defusa picato,
est strepitans rauco murmure rivus aquae;

Bembino cum suis (B) accedunt Monacenses (M). inscriptum Copa Eiusdem Maronis Incipit *B*; *Charisius p. 63 K.*: quamvis Vergilius librum suum Cupam inscripserit. *carmen scriptum videtur post Propertium sub initia Ovidi, cf. Buechelerus mus. Rhen. 45, 323. doctum commentarium scripsit Ilgenus a. 1820*

1 suirisca *B*, furisca *M*; *nomen proprium esse videtur non gentile* (Eunus Syriscus *Auson. epigr. 79, 1 Sch.*; Frigisci equi *Vegeti veter. 4, 6, 3 incertissimi*), *ut nomine noverit copam tabernae* famosae *(v. 3)* metalla *B* 2 crotala *M* 3 fumosa *M* 4 *intellege* ad raucos calamos *(cf. v. 10)* cubitum excutiens, *v. ad Cul. 92* 5 abesse *pertinet ad* toro 6 potius *positione inversa* ἀπὸ κοινοῦ *positum inter* abesse *et* decubuisse bibulo *qui vino conspergi soleat. Ovid. art. 1, 233* vina bibulas sparsere Cupidinis alas 7 topia *cf. vit. Hadriani 10, 4* kalibes *B*, chalybes *M*; *cf. Athen. 517 f* 8 triclya *M*, triaclia *B*, *cf. C. I. L. 14, 422* triclias, *1636 b 13* in triclia sarcophaga n̄. III; *alia in lexicis* umbris *B* *cf. Aen. 8, 34* 9 en *cf. Sen. Oed. 1013* matris en matris sonus, *Prop. 2, 16, 49* vidistis toto sonitus percurrere caelo, *alia Sen. trag. 1 p. 111, et apud graecos poetas frequens* μετάληψις αἰσθήσεως *(schol. Eur. Hec. 174 S.)*, ut κτύπον δέδορκα, (ὄψει) κρότον χειρῶν πολύν *rustica fistula, quae Maenalio sub antro dulce garrit, hic pastoris more sonat i. e. non dulcissime. neque hoc ipsa copa neque vinum vappam dixerit.* nisi mutatum parcit defundere vinum *Horat. sat. 2, 2, 58* 11 est *om. M*

sunt etiam croceo violae de flore corollae
  sertaque purpurea lutea mixta rosa
et quae virgineo libata Achelois ab amne
  lilia vimineis attulit in calathis.
sunt et caseoli, quos iuncea fiscina siccat,
  sunt autumnali cerea pruna die
castaneaeque nuces et suave rubentia mala,
  est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius;
sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis
  et pendet iunco caeruleus cucumis.
est tuguri custos, armatus falce saligna,
  sed non et vasto est inguine terribilis.
huic calybita veni. lassus iam sudat asellus,
  parce illi: Vestae delicium est asinus.
nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
  nunc vere in gelida sede lacerta latet:
si sapis, aestivo recubans nunc prolue vitro,
  seu vis crystalli ferre novos calices;
hic age pampinea fessus requiesce sub umbra
  et gravidum roseo necte caput strophio,

---

13 *nihil hic offendit nisi quod duo florum genera expectantur ut v. 14; fortasse* sunt et cum croceo; *cf. Cul. 74 et Cir. 513* 14 mistatrosa *B* 15 achalois *M* *cf. bucol. 2, 45 (Colum. 10, 277. 300)* 17 fascina *B* 18 *cf. Buechelerus l. s.; Prop. 4, 2, 15. 43* 21 *transit ad hortuli opes nondum decerptas, nempe* pendet *cucumis, item* (pendet *ἀπὸ κοινοῦ*) *uva, quod* lenti *racemi indicant* 24 est *om. M* *cf. Buechelerus et e. g. Stat. Theb. 12, 549* regesque mariti (erant), non utinam et fortes, *1, 415* sed non et viribus infra Tydea fert animus, *Avien. Arat. 480* sed non et capiti similis rubor 25 huic *i. e. Priapo, tuguri custodi, invitanti non terrenti, ut χαλυβίτης* veni; *cf.* Delia saepe tibi venit; *sed* huc *M* calibita *B*, chalybita *M*; *vocativus propter imperativum, ut* sic venias hodierne 26 vestrae, *corr. Is. Vossius* delici • *B*, deliciae *M*; *cf. Phaedr. 4, 1, 8* 27 *cf. georg. 3, 328* rumpiunt *B* 28 *cf. Buechelerus l. s.; bucol. 2, 8 sq.* vere *B*: varia *M*, veprum (*deinde* [:] saepe) *Hauptius* 29 aestivom *Buechelerus proposuit probabiliter. Prop. 4, 8, 37* 30 cristalle *B* 31 hia *B*, haec *M*, *corr. Stabulensis, alii; versum fere repetiit Nemesianus 4, 46; cf. Verg. bucol. 7, 10, priap. 86, 14 B.* (*'Verg.'*) 32 strofio

formosum tenerae decerpens ora puellae —
  a pereat cui sunt prisca supercilia.
quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
  anne coronato vis lapide ista tegi?
pone merum et talos. pereat qui crastina curat:
  Mors aurem vellens 'vivite' ait 'venio'.

---

33 formosum *vindicavit Buechelerus* 34 aperiat M 35 *cf. Aen. 6, 213* 36 *'an vis lapide tegi eumque lapidem coronari istis sertis?' Buechelerus. ego dubito num poeta ante v. 38 mortem ipsi quem invitat instantem innuat, et conieci* teri 37 tallos *M* *haec et v. 33 sane non ipsa puella dicere potest, quam omnino non loquentem facit poeta* Publii Virgilii Maronis Copa Finit *B*

INDEX CARMINVM

INDEX COMMENTARII

Corrigendum p. 14 v. 405 chrysanthusque, p. 29 v. 18 genere, p. 66 v. 13 anima, p. 73 v. 18 *pectebant*, p. 82 v. 31 *ferae*

Typ. G. Bernstein, Berolini.